COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS VIII. PARS II.

LIPSIAE. MDCCLIX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie. Tome Troiſieme. à Paris, chez la Veuve Delaguette. 1757. 4. mai. Hiſtoire, pl. 18. Mémoires, Alph. 3. pl. 16. tab. aen. 19. *

h. e.

Commentarii academiae regiae chirurgicae. Tomus III. etc.

In hoc utiliſſimarum diſſertationum refertiſſimo tomo regia academia ſecundum eam, quam antea iam indicauimus ** normam, pergit in hiſtorica parte:

1. *Varias obſeruationes* praemittere, in qua- p. 1.
rum.

1) *Agarici adſtringentis* efficacia in haemorrhagia, poſt amputationem femoris ſiſtenda, a Cl. ANDOVILLE bis cognita fuiſſe dicitur. Quoad agarici conſeruationem vero monetur, illum non in ſcatula, ſed in vaſe vitreo clauſo aſſeruari debere; cum Cl. MORAND optime praeparatum chartaeque tantum inuolutum ſepoſitumque, poſt longum tem-

 pus,

* Idem hic tertius Tomus, a Cl. IOANN. ERNEST. GREDING, Medicin. Lic. nec non Prochodochii Waldheimenſis et Mittweydenſium Medico Phyſico Ordinar. in vernaculam translatus, iam Altenburgi prodiit.

** vid. Commentar. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 575.

pus, a ſcarabaeo, *Dermeſtes* nominato, plenum corroſum deprehenderit.

p. 6. 2) Ex eiusdem quoque conſilio Cl. MALAVA inueteratum genu tumorem, qui altero genu duplo maior erat, poſt varia incaſſum tentata, applicato illo nigro, quod lapidatores ſub ſtratura viarum prope riuulos in magnis urbibus eruunt, utpote ſubtiliſſimo ferro, a curruum rotis et equorum pedibus leis abraſo, ditiſſimo, breui tempore diſſipauit.

p. 7. 3) Feminae ſeptuaginta annorum cornu quodam, in medio femore ſiniſtro introrſum ex cute enatum, liquore cauſtico, circum circa applicato, feliciter exſtirpatum fuit. Qua occaſione alia eiusmodi cornuum cultro reſectorum exempla adducuntur, ambaeque exſtirpandi methodi aeque efficaces habentur.

p. 10. 5) Vir triginta duorum annorum, ſubito reſpiratione difficili, vomitu et conuulſionibus correptus, atque tunc quidpiam a renibus ſuis vi quadam ſe ſeparare ſentiens, magno urinam mittendi deſiderio afficitur. Vrina vero et per urethram et per umbilicum ſimul egrediens tanto impetu ex umbilico proſiliit, ut humerum ad genua prouoluti mirumque admirantis ſerui tranſiliret. Cl. RAVSIN ſenior tunc temporis accerſitus umbilicum mediocris nucis magnitudine tumidum et in medio apertura quadam, quae parum ſanguinis effuderat, perforatum vidit, qui tumor vero digito ſuperimpoſito diſparere videbatur. Conuulſionibus ſopitis, aeger aliquamdiu adhuc urinam pro lubitu, vel per umbilicum, vel per urethram emiſit, donec tandem, euitatis per umbilicum reddendi conatibus, urinam tandem per urethram tantum emitteret.

p. 12. 6) Bronchotomiam Cl. BAVCHOT, anno 1748 in iuuene viginti trium annorum feliciter peregit, quam Cl. BOVRGELAT quoque in equo pari euentu inſtituit.

7) Oeſo-

7) Oesophagotomiam, quam Cl. GVATTANI, post experientias in canibus institutas, facilem iudicauit, academia ob facilem funestamque arteriarum thyroidearum laesionem, periculosam esse declarat. Fatetur interim Cl. GOVRSAVD mense Maio 1738 homini os, pollicem longum et sex lineas latum, quod forte fortuna deglutiuerat, post inutiles illud in ventriculum deprimendi conatus, facta incisione sinistra parte, ubi os digito sentiri poterat, feliciter et absque ullo symptomate extraxisse, eandemque operationem eodem cum successu a Cl. ROLAND peractam esse. p. 13.

8) *Lapidis stercorarii* pondere admodum leuis et in digitis impressionem saponaceam, ut Brigantinensis creta relinquentis atque ex laminis compositi, quarum aliae coloris cineritii, aliae albicantis erant, *analysin chemicam* Cl. CADET et comparationem cum Cl. BOVLDVC analysi chemica calculorum vesicae urinariae instituit, ex qua apparet, hos magnam salis volatilis quantitatem, illos vero multum olei exhibere. Phosphorum quoque mediante alumine secundum Cl. HOMBERG processum exinde parauit, qui facillime ignem concepit atque inter comburendum sulphuris odorem penetrantissimum sparsit. p. 14.

9) Linguam fortiter ad palatum appressam ceu impedimentum suctionis minus cognitum in infantibus obseruatum ope spatulae depressit et duorum infantum vitam seruauit Cl. LAPIE. p. 16.

10) Dentem incisorium superiorem, cuius radix valde curua fuit, feliciter extraxit Cl. CAPPERON. p. 17.

11) Foecundationem, cuius terminus occasione quadam ab academia definiendus fuit, secundum naturam in menstruatis quidem locum tantum habere, foeminas tamen, nunquam menstruatas, foecundas etiam fieri terminumque longe ultra annum quinquagesimum extendi omnino posse, eadem p. 18.

haec academia pronuntiauit pluribusque exemplis adductis confirmauit.

p. 20. 12) Manus, quam una cum cute exſiccatam e viridi colore praeditam ante multos iam annos e foſſerunt, et tanquam rem praeternaturalem reco diderunt, ab academia diſquiſita fuit, cuius viridi tis cauſam, vel ab humiditate cuprea, oſſa penetra te, vel a viridi aeris, quo manus, ad uſum anatomi cum forte deſtinata, tincta fuit, dependere rem que praeternaturalem non eſſe, dixit.

p. 23. 2. *Inſtrumenta et machinae chirurgicae, quas* ac demia approbauit, ſunt:

1) Catheter ſingularis, qui a Cl. DE LA CHAVE inuentus et tabul. 1. fig. 4 et 5. delineatus eo in caſu adhibetur, ubi catheteres communes ob ex creſcentias urethrae fungoſas difficulter aut plan non penetrant, aut ubi ſanguis interdum extrava ſatus orificia eorundem obſtruit.

2) Lectum mechanicum, quod a Cl. GVERIN inuentum aegros, mouere ſe non valentes, ad omnes motus neceſſarios ſubeundos diſponit.

3) Variae machinae pro balneis, embrocationi etc.: ab Eodem excogitatae.

4) Monilia pro infantibus ab honeſta foemina GONICHON et Cl. PRIOV excogitata, quibus ſpi nae collisumque incuruatio praecauetur.

5) Inſtrumentum, quod pro ſiſtenda haemorrha gia, dentium extractionem ſequente atque vulgari ſaepe modo vix compeſcenda, a Cl. FOVCOV excogitatum tab. 2. delineatur.

6) Deſcriptio machinae ad obliquas corporis fe moris eiusque colli fracturas, quae in commenta riis ſubſequentibus continetur.

3) Sequun-

3. Sequuntur poſtea recenſiones variorum tra- p. 30.
ctatuum, quos ab anno 1742 ad annum uſque 1750.
academici ediderunt,

4. Has excipiunt duorum academicorum defun- p. 107.
ctorum elogia, quorum prius GVILIELMO CHE-
SELDEN dicatum eſt. Hic anno ſeculi praecedentis octogeſimo octauo *Sombery* in Comitatu *Leiceſter* natus tam acriter ſtudiis incubuit, ut anno aetatis ſuae vigeſimo ſecundo anatomen iam doceret. Verum non in hac ſolum, ſed in Chirurgia etiam adeo exercitatus fuit, ut multis conſiliarium ſe praeberet deque iisdem erudite inſimul ſcriberet. Ob bene merita inſuper Reginae Anglicae Chirurgus ſuperior conſtitutus atque etiam Eques creatus eſt. Anno demum 1752 aetatis ſuae ſexageſimo quarto die duodecimo Aprilis obiit.

NICOLAVS PVZOS, patre chirurgo Pariſiis an- p. 121.
no 1686 natus, ab eodem ſtatim chirurgiae deſtinatus fuit. Atque ut multum in ea proficeret, philoſophiam prius addidicit, poſtmodum autem chirurgiae ſedulo operam nauauit et in hac ſe occaſione cladium inſignium ab anno 1703 ad annum 1709 uſque multum exercuit. Artem praeterea obſtetriciam bene calluit atque hac in re multis auxilium praebuit nec a paucis in conſilium vocatus foeminas etiam obſtetricantes ad obitum uſque de hac arte inſtruxit. Anno 1745 academiae chirurgicae Director a Rege creatus annoque 1750 Cenſor librorum chirurgicorum regius nominatus fuit. Per plures annos aſthmaticus denique anno 1753 ſubito viribus fractus d. 7 Iunii obiit.

5. Vltimo ſubnectitur catalogus Academico- p. 129.
rum, qui d. 1 Ianuar. 1757 inter viuos fuerunt.

Tranſeamus ad ipſos commentarios, in quibus deprehenditur:

p. 1. 1) *Commentarius cum plurium obſeruationum ſum... de cancro.* Auctore Cl. LE DRAN. Tractatio, in quatuor partes diuiſa, primo de cancro cutis, deinceps de cancro mammarum, a cauſa externa orto, porro de iis, qui a menſtruorum ceſſantium refluxu, tandem, qui a lymphae vitiis naſcuntur, agit. Cancrorum cutaneorum ortus glandulae obſtructae ſunt, paruum nodum formantes, qui irritatus in cancrum demum latius ſenſim ſerpentem aliasque ſanas adhuc partes depaſcentem, abit. Huic malo medetur chirurgia, dum cancros paruos vel cauſtico, ſemel tantum applicando, deſtruit, vel eos cultro exſcindit. Id variis illuſtratur obſeruationibus, ex quibus ſequentia notamus. Cancri in facie deprehendendi in initio parui duntaxat nodi fuerunt, qui autem, cum mali moris non ſint, ſola tantum irritatione in cancros abeunt. Inde iſta tubercula, incrementum non capientia nec dolorifica tangenti non eſſe, colligitur. Quando vero duri iſti tumores increſcunt, nec lenioribus remediis obediunt, cauſtico demum aut ſcindente inſtrumento deſtruantur, neceſſe eſt, ita tamen, ut cauſtica eo tantum in caſu valeant, ubi tumor paruus unica applicatione deſtrui poteſt; ſin minus, tumor exſcindendus, minime autem cauſtico, ſaepius applicando conſumendus, quia lenta iſta et crebra applicatione pars affecta irritata in peiorem ſtatum tranſit. Tandem cancros faciei et ab interna cauſa oriri, ſemper fere ex regreſſu tantum mali cognoſcenda, notamus.

p. 18. Qui ob copioſas glandulas in foeminarum mammis oriuntur cancri, externam ſaepe cauſam agnoſcunt. Duri enim, poſt contuſionem v. g. oborti tumores, qui diu absque incremento et dolore feruntur, irritati in carcinoma mutantur. Quando itaque ſimplices adhuc exiſtunt, a remediis leniori-

bus

bus diluentibus et resoluentibus, interne sumtis, medela saepe expectant, sensim vero increscentes et dolentes iam, iisdem etiam remediis cum lactea diaeta iunctis interdum quidem, sed raro curandi, ut plurimum absque recidiuae metu amputantur. Quodsi dolores frequentes et lancinantes accedunt, atque tumores iam carcinomatici fiunt, nondum tamen glandulis sub axilla induratis, amputatio saepe etiam adhuc locum habet; si vero lympha vitiata est, semper recidiua metuenda, quae omnino certa habetur, si sub axillis glandulae indurantur. Cumque a tumoribus istis totius saepe corporis lympha corrumpatur, in aliis etiam locis, in primis pulmonibus tumores pariter cancrosi oriuntur. Caeterum mercurio, nec tumores carcinomatici, nec etiam scirrhosi curantur, imo in peius mutantur; a causa contra venerea orti medelam inde admittunt. Cauteria in partibus remotis e. g. extremitatibus applicata, recidiuam saepe praecauent. His ipsis enim humores auocantur, ita, ut in multo minori copia ad partem affectam tendant.

Hactenus de cancris, a causa externa natis, di- p. 37.
ctum, nunc de iisdem ab internis causis agitur. Inter plures causas eae hic in primis notantur, quas menstruorum fluxus, tempore definito cessans, largitur. Sed cancros ab hac causa non in mammis solum, sed in utero etiam vere produci, obseruationes ostendunt, ex quibus etiam liquet, eiusmodi cancros eodem modo, ut caeteras species, a cuiusdam partis obstructione formari. Ita enim tumores primo scirrhosi, postea carcinomatici, tandem fere exulcerati cancri producuntur. Eiusmodi metastases paruo temporis spatio absque notabili dolore se extendunt, ulcus increscit atque malum incurabile euadit. Saepe etiam diu cancros secum ferunt foeminae, tandem pulmonibus aut cerebro

infarctis ut plurimum pereunt. Aſt praeter uterum et mammas aliae quoque in hypogaſtrio ſitae partes eiusmodi tumoribus obnoxiae ſunt, quarum vero morboſus ſtatus in initio vix detegi poteſt.

p. 47. Tandem etiam cancri commemorantur, qui, a vitio humorum orti, nullam medelam admittunt. Si enim in ipſa lympha miaſma cancroſum reſidet, accidit ſaepe, ut, una parte amputata, nouus in altera tumor, vel alius peior fere morbus oboriatur, ideoque nullus curationi locus relinquatur. Obſeruationes hic adductae eiusmodi caſus continent, ubi poſt amputatas partes cancroſas, vel inſignis caries oſſium, vel eorundem emollitio, vel pulmo induratus euaſit, ita, ut mors ineuitabilis ſubſequeretur.

p. 55. 2) *Obſeruatio de corpore peregrino, in inteſtinis formato, perque anum extracto.* Auctore Cl. MARESCHAL. Foemina diu inſigni alui tarditate laborat, cuius cauſam diſquiſitam corpus eſſe peregrinum in inteſtino recto deprehendunt. Ano itaque ob volumen dilatata, inque pluribus locis inciſa lapis extrahitur, qui, uncias duas totidemque drachmas cum dimida ponderans, in medio nucleum, ex induratis excrementis formatum habuit, cui plures incubuerunt lamellae. Tab. 3. fig. 1. 2. 3. corpus iſtud repraeſentat.

p. 57. 3) *Alia obſeruatio de concretione lapidea per anum educta.* Auctore Cl. MOREAV. Haec, praecedenti fere ſimilis, lapidis, magnitudine mali maioris, per anum educti mentionem facit, tabulaque 3. figura 4. fruſtum iſtius lapidis diffracti delineatum ſiſtit.

p. 62. 4) *Obſeruatio de vuluere digiti cum phaenomenis peculiaribus.* Auctore Cl. MORAND. Homo quidam vitreum tubum, mercurio plenum, experimentis phyſicis deſtinatum frangit, quo facto orificium,

cium, ne mercurius omnis egrediatur, digito obturat et inde vulneratur. Vulnus emplaſtro tectum poſt aliquot dies conſolidatur. Verum paulo poſt dolor et inflammatio denuo accedunt et, abſceſſu formato apertoque, ſingula deligatione pus una cum globulis mercurii educitur. Decem diebus elapſis rurſus quidem vulnus conſolidatur, digitus vero tumidus manet. Per plures dein menſes, paruis ſaepe nodulis in digito formatis hisque apertis, una cum pure mercurius eductus fuit. Accuratiori demum curatione obſeruata perfecte conualuit digitus.

5) *Obſeruationes de duobus vulneribus in homine quodam notatu dignis.* Auctore Cl. VERDIER. Melancholicus quidam nouacula vulnus abdomini ſupra umbilicum aliudque gulae infligit. In priori portio inteſtini ieiuni cum alia coli exit inſimulque duplex omenti portio eodem inſtrumento ſeparata in lecto et pone iſtud reperitur. Qua occaſione, cum epiploon ob reliquarum partium breuitatem ligari nequiuerit, neque tamen ullum inde damnum euenerit, Cl. Auctor oſtendit, quo in caſu omenti ligatura, quae tamen, ſi reducendum iſtud eſt, ab omnibus ſuadetur, omitti, quoue ſuſcipi debeat. Locum ea non habet, ubi vulnus gladio inflictum paruae portioni omenti exitum praebet. Ipſa enim vulneris anguſtia vices ligaturae gerit efficitque, ut deſiccata portio propendens ſponte decidat. Quodſi vero egreſſum epiploon ſingultu et vomitu ſtipatum eſt, vulnus tunc dilatari omentumque, parte mortua prius deligata, reponi debet. Ita enim decidentia partis procuratur, moleſta vero ſymptomata praecauentur. Tandem ſi in epiplocele vaſorum infarctus et inflammationis ſigna adſunt, ligaturae locus non eſt, ſed expectandum, donec infarctus et inflammatio ceſſarint. p. 67.

Alterum

p. 78. Alterum vulnus gulae ſupra laryngem inter cartilaginem thyroideam et os hyoideum ita inflictum fuit, ut liquida, ore ſumta, per hocce vulnus exirent inſimulque vox deficeret. Vulnere recte tractato, vocem recuperauit aegrotans, inde Noſter, neruos recurrentes non diſciſſos ibi fuiſſe, coniicit, cumque iſte aeger priſtinam vocem recuperarit, optimo inde cum ſucceſſu bronchotomiam in caſu, ubi aer ob faucium inflammationem, aut ob peregrinum in aſperam arteriam ingreſſum corpus, intercipitur, inſtitui, vulnus dein conſolidari vocemque reſtitui omnino poſſe, concludit.

p. 84. 6) *Commentarius de hydrocele.* Auctore Cl. BERTRANDI. Hydrocelis variae ſpecies ſunt. Vel enim aqua inter integumenta communia et muſculum dartos, vel inter hunc et cremaſterem effunditur. Tertiam, quam aſſumunt, ſpeciem, aquae nimirum effuſionem inter cremaſterem et vaginalem tunicam, Cl. Auctor negat, colligi autem eam in ipſa tunica vaginali cellularemque ab initio eiusmodi hydrocelen eſſe, aſſerit. Fractis enim cellulis aquam dein congeri, plures obſeruationes oſtendunt, hancque hydrocelis ſpeciem frequentiorem eſſe, confirmant. De ultima tandem, quam in ipſo teſticulo conſtituunt, ſpecie Noſter dubitat, obſeruationibus hac de re nondum confirmatus. Ad has et aliae hydrocelis ſpecies referuntur, quae ab herniis ortum trahunt. Saepe enim inteſtina, omentum et veſica, cauſam dant, ut aqua in ſaccis congeri queat.

p. 106. Quod ad curationem ſpectat, ea vel ſetaceis vel cauſticis, vel ferro perficitur. In hydrocele recenti, quae in vaginali tunica fit et cellularis eſt, ſetaceum optime conuenit. Si vero tumor amplus et vetuſtus eſt pluresque ſunt cellulae, atque aquae copia inſignis, ſetaceum locum non habet, ſed inciſio

cisio suadetur, ita tamen, ut cellularum cumulus minime laedatur. Inciduntur cellulae a parte inferiori ad superiorem, sique, euacuato humore, in cellulis conspiciuntur maculae, cauum tunc linamentis impletur, quorum superficies lapide infernali contuso cumque sapone permixto oblinitur, ut maculae erodantur. In ampla hydrocele, antequam incisio suscipiatur, aqua prius educenda, remediisque corroborantibus scrotum fouendum, et suspensorio per aliquot dies sustinendum, atque, noua aqua collecta, saccus iterum perforandus. Ita namque gangraena et haemorrhagia, incisionem saepe sequentes, praecauentur, haec autem felicius tunc demum instituitur. Valet haecce medendi methodus, ubi tumor non adeo vetustus est et aqua tantum limpida exit; sin vero aqua subrubra vel atro rubescens, lurida et graueolens egreditur, incisio confestim suscipienda, saepeque testis exscindendus est.

Si saccus nimium crassus, amplus, scirrhosus deprehenditur, maximam partem exscindendus iste, non vero causticis tangendus est. Sin vero idem non adeo crassus et amplus conspicitur, lenior institui potest curatio. Sacci praeterea suppuratio promouenda, ipse autem ita obliterandus est, ut nouae collectioni humoris nullus ultra aditus pateat. p. 115.

7) *Commentarius de exostosibus ossium cylindricorum, quarum nouam speciem* constituit Cl. HOVSTET. Praeter exostoses a malo venereo, scorbuto etc. ortas, alias a succo, post contusionem aut aliam externam violentiam extrauasato, natas Cl. Auctor annotauit. Prima earum species est, si succus in ipsa ossis cauitate subito et copiose colligitur, ita ut substantia ossis sensim detrudatur et exostosis exoriatur. Alia species est, si ossa a succo, intra ipsam eorum substantiam effuso, distenduntur et intumescunt. p. 130.

ſcunt. Tertia tandem habetur, ſi exoſtoſes, vel ab indurato perioſteo tumido, vel a ſucco nutritio, ſuper os externe effuſo, oriuntur. Vltima haecce ſpecies a tumore ſcirrhoſo, tum fixitate, tum dolore diſcernitur. A cancro autem incipiente differt in eo, quod in hoc cutis color mutetur et venae intumeſcant; ab aneuriſmate vero, quod hoc molle, pulſans, dolens ſit et compreſſum cedat, a ſpurio demum, quod hocce ſubitum incrementum capiat, molle ſit atque cutis flaueſcat. Exoſtoſis, quae a ſucco, in ipſa cauitate effuſo, producitur, cognoſcitur, quod canalis oſſis diſtendatur et membri volumen undique augeatur. Illa vero ſpecies, quae a ſucco intra ipſam ſubſtantiam effuſo oritur, creſcere nequit, nec ut praecedentes eleuatur. Cuncta haec pluribus obſeruationibus et figuris, tabul. 4. 5 et 6 repraeſentatis, illuſtrantur.

p. 145. 8) *Commentarius de curatione herniarum inteſtinalium cum gangraena.* Auctore Cl. Lovis. Inteſtina, per annulum ex abdomine egreſſa, ſaepe incarcerantur et gangraenam inde concipiunt, quare, ne invitae diſcrimen incurrant aegri, promtum auxilium adhibendum eſt. Quadruplex autem obſeruatur modus, quo gangraena accedat. Dantur nimirum caſus, ubi aliqua tantum inteſtini portio incarceratur, ita tamen, ut inteſtini cauitas minime intercipiatur. In hocce caſu aegri leues duntaxat dolores colicos, nauſeas et vomitus experiuntur, ſtercoraria vero materies per viam adhuc liberam tranſit. Magna itaque attentio hic requiritur, idque eo magis, quo minus ſymptomata grauiora videntur, quoue negligentiores plerumque tunc eſſe ſolent aegroti. Rebus interim ſic ſe habentibus partem interceptam occupat gangraena, qua perſpecta ſegmenta illa gangraenoſa ſeparanda, partibus ſanis intactis ſuppuratio conuenientibus remediis

diis procuranda ulcusque detergendum est; quibus cunctis rite obseruatis, perfecta saepe obtinetur consolidatio. Notandum praeterea est, saepe etiam alui obstructionem in memorato statu obseruari et, licet tota intestini cauitas intercepta non sit, faeculentam tamen materiem vomitu reiici.

In casu, ubi eiusmodi hernia gangraenosa annulo adhaeret, dilatatio nocet; ubi vero, rupto intestino faeces per vulnus exeunt, conuenit sane, si aeger ventri incumbit, quo faeces exeant et impediatur, ne in abdomen istae dilabantur. Clysmata insignem in tali statu opem ferunt; non solum enim scybala, diu retenta educunt, sed faciunt quoque, ut faeces, quae per vulnus exeuut, versus anum rursus terminentur. De reliquo regimen accuratum et strictum diu post curationem obseruandum est, interdum tamen idem istud nimis diu continuatum nocet, quia coarctationi intestini fauet, a qua autem varia saepe oriuntur mala.

Dantur deinde casus, ubi tota cauitas intestini p. 166.
intercipitur. In his eadem fere symptomata, quae antea, obseruantur. Hinc de curatione tantum notamus, partes gangraenosas separandas et, si intestinum adhaereat neque partes uniri possint, anum artificialem constituendam esse.

Tertius casus est, ubi intestini gyrus liberum p. 168.
in annulo constituit anfractum, gangraena correptum. Minime hoc in casu intestinum reponendum, sed, nisi reuiuiscat, mortua pars separanda nouaque anus, alteram intestini cum ventriculo cohaerentem partem cum vulnere conglutinando, procuranda est. Tali enim modo multos seruari, contra vero unionem partium intestini separatarum fallacem curationem suppeditare et aegrotantes, post aliquos etiam annos, plerumque tamen citius, rupto intestino et materie in abdomen egressa perire, ex adductis obseruationibus patet.

Quartus

p. 178. Quartus demum caſus eſt, ubi hernia gangra-
noſa inſimulque adhaerens inteſtini gyrus anima-
uertitur. In hoc caſu ſi ſanae partes annulo adha-
rent, accidit ſaepe, ut parte corrupta ſeparata e
faecibus per vulnus euacuatis poſt aliquot tempo
ſtatu in meliorem mutato, beneficio adhaeſion
materies faeculenta priſtinam viam tranſeat et pe
rectum inteſtinum euacuetur.

p. 184. Primarium inter curationes locum obtinet me-
thodus RAMDHORII, Chirurgi Brunſwicenſis
quippe qui poſt ſeparationem portionis inteſtinali
alterum inteſtini extremum ſuperius in inferius in
ſeruit et ita vitam aegri ſeruauit. Ex his pariter
quae hactenus dicta ſunt, patet etiam, quo modo
vulnera inteſtinorum pertractanda veniant, cum
plura cum curatione herniarum gangraenoſarum
communia habeant.

p. 202. 9) *Commentarius de utilitate iniectionum aquae ca-
lidae in uterum, ſecundinarum portione poſt abortum re-
licta.* Auctore Cl. RECOLIN. In aliquot foemi-
nis, in quarum utero poſt abortum aliqua ſecun-
narum pars remanſit, aquam calidam aliquoties
ope ſyringae in ipſum uterum iniecit. Quo facto
ſymptomata non ſolum mitiora reddita ſunt, ſed
ſecundinarum etiam reliquiae poſthac exierunt.
Aquam ſimplicem calefactam, utpote magis ſolu-
tem, reliquis iniectionibus anteponit. Secundinas
enim non ſolum hac ipſa detrudi, ſed et humores
putridos foetidosque nec non ſanguinis grumos eo-
dem elui uterumque plane purgari, aſſerit.

p. 216. 10) *Commentarius de methodo, placentas poſt par-
tum extrahendi deque diuerſis, quas operatio iſta pro ri
qualitate exigit, cautionibus.* Auctore Cl. LEVRET.
Primo tempus extractionis placentae conſiderat No-
ſter. Si foemina fortis ſatque vegeta eſt, parum

copia aquarum in utero reſtat, haeque diu ante foetus excuſſionem exierunt, ſecundinae ſtatim extrahendae ſunt; ſin vero contrarium obſeruatur, feſtinandum non eſt. Deinde ſi venter mollis et undique flaccidus eſt, neque quidquam in inferiori uteri parte eleuatum deprehenditur, feſtinatio nocet, ſin vero in regione hypogaſtrica oualis tumor, in primis ſuperiora verſus, ſentitur, nullum damnum a feſtinatione metuendum eſt. Porro ſi ſanguis, vel ante partum, vel cum eo, vel etiam poſt eum, copioſus exiit, quantocyus a placenta foeminae ſunt liberandae; ſin vero nullus ſanguis dictis temporibus exiit, celeritas nocet. In caſu, ubi placenta paucos anfractus habet, eiusque craſſities et circumferentia non adeo notabilis, atque funiculus ſat capax eſt, extractio facilis habetur, contrarium ſi obſeruatur, extractio matura nocet. Praeterea locus adhaeſionis ſedulo attendendus eſt. Saepe enim parti anteriori, vel et poſteriori uteri adhaeret placenta, quare ob mechaniſmum extractio difficilior fit; hinc, niſi ad hanc rem attendatur, videretur forte, ac ſi iſtud impedimentum ab uterini orificii conſtrictione proueniret.

Quod ad cautiones ſpectat, altera obſtetricantis p. 228.
manus, oleo bene illinienda, introduci, altera vero ventri parientis, ad impediendum uteri prolapſum, imponi debet. Dorſum deinde manus parieti, cui placenta adhaeret, reſpicere debet; placenta poſthac ſenſim ſenſimque remouenda; tum cura in arripienda placenta adhibenda eſt, ita, ut pollex lateri placentae, cui funiculus adhaeret, reliqui autem digiti alteri lateri imponantur. Si tandem aliqua forte pars placentae relicta fuerit, curandum omnino, ut extrahatur.

In caſu denique, ubi poſt abortum primi men- p. 229.
ſis placenta extrahenda eſt, opus hoc, ſi nimirum nullus, vel paucus ſanguis efflurerit, ſoli naturae

relinquendum, et liquor tantum tepidus iniiciendus eſt. Sin vero multum ſanguinis exierit, altera tum manus ventri imponenda, altera vero in vaginam introducenda inſimulque digitus in uterum immittendus et in circulum ducendus eſt. Tunc enim manum exeuntem, vel placenta ſequitur, vel hoc etiam ſi non euenit, id tamen efficitur, ut placenta deſcendat, exitusque eius acceleretur.

p. 235. 11) *Deſcriptionem machinae ad fracturas obliquas corporis collique femoris* exhibuit Cl. BELLOQ. Hanc icon tab. 7. ſiſtit.

p. 238. 12) *Diſquiſitio hiſtorica et critica de nephrotomia ſeu ſectione renum.* Auctore Cl. HEVIN. Hanc in duas partes diuiſit Cl. Auctor, quarum prior rem iſtam hiſtorice pertractat et diſquirit, an unquam in viuentium renibus, calculo affectis, de caetero integris, ſalua aegrotantis vita, ſuſcepta fuerit. Pluribus argumentis, rem vel corroborantibus, vel aliis, eandem impugnantibus, adductis patet, dubium etiamnum manere, an unquam operatio iſta in renibus, calculo tantum affectis, ſuſcepta vero fuerit.

p. 274. Quod ad poſteriorem partem pertinet, diſquiritur primo, an ſectio renum, in integritate conſtitutorum ſuſcipi omnino poſſit. Veteres nihil quidquam ſuadent, quodque de ſectione renum commemorant, de eorundem tantum abſeſſu, nequaquam vero de rene calculoſo aperiendo dicta videntur. Operationem quidem recentiorum non nulli, atque inter hos in primis Cll. ROVSSET et ROBINSON defendunt, atque eam bono cum ſucceſſu inſtitui poſſe, aſſerunt. Verum ſententias, ſi examinaueris, non experientia, ſed coniecturis tantum niti, reperies. Si itaque dicendum quod res eſt, plures ſane obſtant rationes, quae renis, tantum

tum calculo grauati, de caetero integri, ſectionem diſſuadeant. Ita namque ſitus huius viſceris profundus, partium, iſtud tegentium ipſiusque ſubſtantiae renum craſſities, aortae, ductus thoracici, coſtarum ſpuriarum proceſſuumque vertebrarum vicinia, nerui ſat magni, ſaepe renem tranſeuntes aliaque eiusmodi plura impedimento ſunt. Verum adſunt alia, non minus grauia, quae ſectionem vetent. Ita v. g. de calculi praeſentia certi vix ſemper ſumus, et ſi quoque nullum ſuperſit dubium, quis tamen de figura et ſitu ipſius calculi certi quid determinare audeat. Anatome enim ſaepe in renibus detexit calculos, ita incluſos, ut absque renis deſtructione vix unquam extrahi potuiſſent. Certe, ſi has aliasque plures perpendamus rationes, ſectionem renum non ſolum difficulter peragendam, ſed et maxime periculoſam eſſe, animaduertimus.

At vero, ſi abſceſſus in renibus formatur, isque p. 314.
exteriora verſus tendens per ſua ſigna cognoſcitur, nephrotomia locum habet. Valet autem ea tum, ubi abſceſſus a calculo oritur, tum etiam, ubi iſte cauſam non ſuppeditat. In priori caſu, abſceſſu aperto calculus inſtrumentis conuenientibus educitur, caeterum recta in utroque caſu atque accurata ulceris habetur ratio.

13) *Commentarius de calculis urinariis, extra na* p. 332.
turales urinae vias formatis. Auctore Cl. LOVIS. Continentur hic quatuor obſeruationes, quae hiſtoriam formationis iſtorum lapidum tradunt. Poſt ſectionem nimirum lateralem, in duobus hominibus ob calculum inſtitutam, tempore aliquo elapſo tumor in perinaeo obortus fuit, quo aperto inſignis magnitudinis calculos extraxerunt. In alio eandem ſectionem tumor in ſcroto ſecutus fuit, quo etiam aperto, calculus itidem exiit. Quarta obſeruatio caſum commemorat, ubi quis contuſionem

in ſcroto paſſus eſt ita, ut, tumore ſenſim enato, p
aliquot annos calculus demum educeretur. In
ſam Noſter inquirens aſſerit, fiſtulam ſaepe
ctione remanere, per quam urina et materies
culoſa tranſeat, quae, accedente ſemper nou
mili materie, augmentum capiat inque verum
dem calculum excreſcat. Quod ad eum caſum
ctat, ubi, contuſione praegreſſa, calculus
in ſcroto formatus fuit, Noſter ideo, urethra
tunc temporis ruptam eſſe, ſeque inde eodem
me modo calculum formaſſe, coniicit. Ne itaq
fiſtulae poſt ſectionem relinquantur, neque calc
lus in adiacentium partium contextu formetur,
reos ea propter in urethram introduci iubet,
canalis amplitudinem naturalem retineat, atq
etiam perfecta cicatrix interius demum formet
Tabula 8. calculos delineatos ſiſtit.

p. 351. 14) *Tentamen ſuper oeſophagotomia.* Auctore Cl. GVATTANI. Operatio haec in ſiniſtro latere ob ſitum oeſophagi inſtituitur; cutis a chirurgo digit arrepta a ſuperiori tracheae parte ſecundum long tudinem ad ſternum uſque inciditur, contextus c luloſus, pinguedo, membranae etc. remouentur, partes inter muſculos ſterno hyoideos et ſterno thyroideos ſiniſtros nec non corpus tracheae ſim ſeparantur, vulnereque ope volſellae dilatato, oe ſophagus in conſpectum veniens inciditur, apertu forfice curua dilatatur atque corpus peregrinum volſellae itidem ope extrahitur. De reliquo bene cauendum, ne nerui recurrentes aut arteriae lae dantur; tandem autem lintea, aqua vulneraria imbu ta, imponantur, atque aeger ſpatio aliquot dierum per clyſmata tantum nutriatur. Operationem hanc in homine quidem viuente non inſtitutam, bene ta men in viuis canibus peractam eſſe, Cl. Auctor perhibet.

15) *Com-*

15) *Commentarius de dislocationibus uteri et vaginae.* Auctore Cl. SABATIER. Hunc in quatuor partes diuisit Cl. Auctor atque in prima quidem de descensu, in secunda de inuersione, in tertia de diuersis mutationibus situs atque hernia uteri, in ultima tandem de dislocatione vaginae agit. Descensus uteri triplex obseruatur gradus, isque, vel relaxatur et in vaginam se confert, vel paulo profundius eam intrat atque in utroque casu sub tumore pyriformi deprehenditur, ita tamen, ut in relaxatione tumor iste paulo altius, in descensu autem longe profundius haereat; vel denique extrorsum penitus uterus praecipitatur. Si uterus relaxatur et descendit, facile iste situ conuenienti in pristinum statum reducitur; sin vero foras plane propendet, difficulter admodum reponitur, attamen non desperandum. In casu ubi intumescentia impedimento est, fomentationes emollientes et resoluentes prius saepiusque applicandae, tandem repositio tentanda est. Nec desperandum est, si quando uterus diu propendens una cum vagina exulceratus apparet. Similes enim fomentationes atque etiam clysmata emollientia crebrius applicata uterum ad repositionem disponunt. Si grauiditatis tempore uterus egreditur, iste statim reponendus; si vero foemina partui proxima habetur, situ conuenienti et fascia uterus sustinendus, donec foetus exclusus fuerit, postmodum autem reponendus est. Si tandem ipso momento partus uterus egreditur, orificium eius dilatandum, vel et uterus incidendus est, tuncque infans extrahitur. Post repositionem uterus pessariis conuenientibus in primis a Cll. BAVHINO et SAVIARD excogitatis retinendus est. p. 361.

Vterus duplici modo inuertitur; vel enim eius fundus per aperturam colli exit et in vagina haeret, haecque subuersio incompleta dicitur; vel ea completa est et totus uterus subuertitur, per orificium p. 375.

tranſit atque aliqua ex parte vaginam ſecum trahens intra aegrotantis femora deſcendit. Harum ſubuerſionum variae annotantur cauſae, inter quas placentae extractio, vaginae polypus, inque foeminis pinguibus inſigne viſcerum pondus referuntur. Promtum poſtulat auxilium uteri ſubuerſio, uterusque quantocyus reponendus eſt, interdum tamen, ſed raro cunctatio conuenit, quando nimirum inflammatio impedimento eſt. Si gangraena uterum ſubuerſum corripit, exſtirpatio unicum habetur auxilium. Si ob moram reductio impoſſibilis cenſetur faſcia uterus ſuſtinendus. Si ſubuerſio a placentae extractione, vel polypo vel demum haemorrhagia dependet, ſola reductio ſuſcipienda, ſi vero pinguis corporis habitus cauſa cenſetur, non ſolum uterus reducendus, ſed et peſſario in ſitu inſimul retinendus eſt.

p. 384. Situs uteri mutatus grauiditatem cauſam agnoſcit. Si enim partes inferiores debiles et laxae ſunt atque abdominales muſculi ob laxitatem reſiſtere nequeunt, accidit inde, ut uterus magis ac magis antrorſum inclinetur, ſupra oſſa pubis propendeat atque ſic dictus *venter propendulus* oriatur. Alia mutatio ſitus uteri hernia dicitur, haecque eſt, ſi uterus grauidus ſenſim per annulum abdominalem exit, ita ut inſignis magnitudinis tumor inde appareat. Si unquam, hoc certe in caſu, ſectionem caeſaream indicari Cl. Auctor autumat. Alii denique ſitus obliqui in unum vel alterum latus interdum animaduertuntur, hique non nulla quidem, ſed non adeo periculoſa producunt incommoda.

p. 390. Vagina relaxatur, deſcendit, egreditur et ſubuertitur: minime tamen putandum, ac ſi omnes eius ſubuerterentur tunicae. Interna namque duntaxat tunica huic incommodo obnoxia eſt, et eadem fere auxilia, quae in ſubuerſione uteri valent, et iam hic adhibenda veniunt.

16) *Com-*

16) *Commentarius de ligatura omenti.* Auctore Cl. PIPELET. Ex pluribus obſeruationibus hic adductis liquet, periculoſum eſſe, ſi quis epiploon, in vulneribus egreſſum, ideo extrahat, ut ſana pars cognoſci inque ea ligatura inſtitui poſſit. Caeterum omenti egreſſi ligaturam, hactenus a plurimis commendatam, grauium ſymptomatum atque adeo mortis cauſam eſſe, hincque omittendam, eaedem obſeruationes probant. p. 394.

17) *Commentarius de ſuturarum abuſu.* Auctore Cl. PIBRAC. Experientia confirmatus Noſter ſuturas in vulneribus infimi ventris, labiis leporinis, vulneribus linguae, vulnere transuerſali colli, vulneribus tendinum, imo cunctis, plus nocere, quam iuuare pluribus obſeruationibus confirmat. Praeter inflammationem enim et dolores, ſuturam ſemper fere ſequentes, in partibus et in primis in facie indelebilem ſaepe difformitatem, ab illa productam remanere, imo hanc ipſam inſufficientem prorſus haud raro eſſe atque adeo fila ſponte ſaepe ob ſuppurationem decidere, vel eadem etiam ob moleſta ſymptomata reſcindenda eſſe, Cl. Auctor demonſtrat. Contra vero in ſuturarum locum faſcias ſurrogandas et pro diuerſitate partium diuerſimode applicandas eſſe, ſuadet. Tabula 9. ſingularis faſcia pro linguae vulneribus depicta habetur, quam optimo cum ſucceſſu in puella, quae linguam in paroxyſmo epileptico inſigniter laeſerat, Cl. Auctor applicuit, imo hac ipſa poſtmodum cautum fuit, ne inſtante paroxyſmo, vel et omni nocte ea applicata lingua laederetur. p. 408.

18) *Obſeruationes de fiſtulis ductus ſaliualis* STENONIANI. Continentur hic variae obſeruationes, quarum prima Cl. quondam Auctori DEPHENIX debetur. Venator graue vulnus in malis a ceruo patitur p. 431.

tur et inter alia ductus in primis STENONIANVS prorsus dilaceratur. Vulnere fere consolidato (fi)ua ob ductum pone angulum maxillae dilacera(tum) continuo effluxit, ita, ut inter masticandum lin(gua) ob copiam effluentis saliuae supponere cogeretur. Noster cognoscere auidus, quanta quauis vice effl(ue)ret saliuae copia, vasculum tempore masticat(o)nis suppositi et in quindecim minutis uncias duas cum drachma saliuae obtinuit, alio tempore, octo decim minutis elapsis uncias duas atque drachmas sex, alio in viginti tribus minutis uncias tres atque drachmas duas cum dimidia, alio tandem viginti octo minutis uncias quatuor atque drachmam unam humoris saliualis collegit. Vnde patet, quantam saliuae copiam inter masticandum parotis glandula suppeditet. Aeger, molestiae istius pertaesus, auxilium implorauit, inde Noster operationem cultro instituens eo rem perduxit, ut nouus artificialis ductus in oris cauitatem hians exoriretur.

p. 440. Altera obseruatio Cl. MORAND Auctorem agnoscit et ductus saliualis fistulam curandi nouam methodum continet. In casu itaque ubi fistula in genis orta saliuae effluentis causa est, ductum in os hiantem Cl. Auctor examinat, et an canalis liber adhuc sit, disquirit. Quo detecto in fistulam lens escharoticum ad destruendam callositatem introducit, in ipsum vero canalem stilum, frustulis fili euolutis instructum, indit, et emplastro vulnus tegit. Diebus octo vel nouem elapsis curationem absolutam fuisse perhibet.

p. 442. Tertiae obseruationis Auctor Cl. LOVIS est. Haec ex pluribus obseruationibus constat, quae effluxum saliuae per fistulam glandularum parotidum earundemque ductus excretorii commemorant. Ex his liquet, saliuam, per fistulam genarum effluentem, semper ductus saliualis laesi signum non esse. Qui enim hic adducuntur casus, ostendunt, fistu-

lam

lam, in ipſa glandula ortam, ſaepe cauſam dare, ut extrorſum terminetur ſaliuae fluxus. Curantur eiusmodi fiſtulae, vel ſola compreſſione vel remediis exſiccantibus, vulneri applicatis. Ita enim facile vulnus conſolidatur; quod autem, ſi ductus iſte laeſus eſt, non aeque obtinetur. Itaque via artificialis tunc procuranda atque gena perforanda eſt. Id quidem cauterio actuali, vel et inſtrumento ſcindente, filis inſuper, quo calloſa inde ora fierent, per aperturas ductis perfecerunt: cum autem perforatio, vulgo hactenus ante foramen fiſtuloſum inſtituta, raro locum habeat, ſaepe etiam periculoſa ſit, Noſter ea propter ſuadet, tentandum primo, num ſaliuae fluxus verſus priſtinum locum terminari iterum poſſit, ſin minus, inciſionem obliquam ab anterioribus verſus poſteriora faciendam, quo ſaliua ante foramen fiſtuloſum in os immittatur. Quando autem ſcindente inſtrumento ductus iſte laeditur, interdum etiam valet compreſſio, quae tamen medendi methodus ab omni incommodo exemta minime videtur. De fiſtulis praeterea notandum, eas non ſolum moleſtas, ſed et periculoſas adeo eſſe. Cum enim his ipſis ductus ſaliualis inſigniter perſaepe dilatetur, inſignis proinde copia quotidie effluit atque ea propter viribus exhauriuntur aegroti.

Quarta obſeruatio de tumoribus ſaliualibus glandularum maxillarium et ſublingualium deque fiſtulis, facta apertura, inde ortis agit. Huius obſeruationis Auctor, Cl. LOVIS, oſtendit, glandulas has ſaepe ab impedito effluxu ſaliuae intumeſcere nec raro ab incautis pro abſceſſu habitas, inde apertas, fiſtulis, poſthac nulla arte curandis, ortum praebere. p. 460.

Ranula, Gallis *la Grenouillette* dicta, glandularum ſublingualium tumor eſt, qui non ab inſpiſſatione ſaliuae, ſed a dictarum glandularum ductu excreto- p. 463.

eretorio obſtructo ortus, minime pro tumore [illegible] cato, ſed pro ipſis glandulis earumque duct[illegible] materie retenta tumefactis, habendus eſt et o[illegible] cauſticis lenioribus, ſcindenti inſtrumento ant[illegible] nendis, curatur.

p. 468. 19) *Obſeruatio de incarceratione inteſtini fingul[illegible]* Auctore Cl. MOSCATI. Hoc inteſtinum hic [illegible] ſcriptum tabula 10 et 11 delineatur.

p. 470. 20) *Obſeruationes de tumoribus circa veſiculam fel[illegible] leam.* Auctore Cl. MORAND. In duobus nimir[illegible] hominibus, tumore ad regionem hepatis form[illegible] et aperto primo pus exiit; tempore autem ali[illegible] elapſo bilis effluxit; unde liquet, tumores ho[illegible] regione hepatis, veſiculae proxima, formatos eſ[illegible] pus autem veſiculae tunicas ſenſim arroſiſſe, u[illegible] hiſce dein ſponte ruptis bilis demum egrederetur.

p. 473. 21) *Commentarius de inſignibus ani abſceſſibu[illegible]* Auctore Cl. FOUBERT. Abſceſſus circa anum for[illegible] matos non ſolum ad promouendam puris extrac[illegible] nem aperiendos, ſed et rectum inteſtinum incid[illegible] dum eſſe, plurimi hactenus ſtatuerunt. Aſt ſim[illegible] plicem abſceſſus inciſionem, recto inteſtino pro[illegible] ſus illaeſo, eo etiam in caſu, ubi abſceſſus fiſtula, vel ani vel urethrae ortum debent, optimo cum ſucceſſu inſtitutam fuiſſe, Cl. Auctor experientia confirmatus, perhibet. Quod autem ad fiſtularum callofitatem attinet, eam vel inſtrumento ſcindente vel cauſticis deſtruendam eſſe, praecipit.

p. 485. 22) *Commentarius de hepatis abſceſſibus, qui vulneribus capitis ſuperueniunt.* Auctore Cl. BERTRAND. Abſceſſus hepatis ſaepe vulnera capitis ſequuntur, eique non a metaſtaſi quadam, ſed ab ipſo vitiato ſanguinis circuito ortum ducunt. Si itaque viri-

dem

dem euomunt vulnerati bilem, delirio corripiuntur, conuelluntur, ſanguis ab ore, oculis vel auribus exit, genae tument, iugula palpitant, hypochondria conuelluntur aut aegrotantes comatoſi, ſtupidi, delirantes decumbunt, tuncque iugula tument et liuent nec non hypochondria intenta dolent, abſceſſus in hepate pertimeſcendi ſunt. Verum ſaepe etiam iſti vix ſuſpicati formantur, quia viſcera inflammata obtuſum habent dolorem et in primis hepar, venoſo tantum ſyſtemate affecto, obtuſiorem multo habebit. Vbique quidem in hepate iſti formantur abſceſſus, in capite tamen vulneratis eosdem profundius ſaepe latere et in concaua potius, quam gibba parte formari, Cl. Auctor annotauit. De reliquo venaeſectionem in pede, ob deriuatiouem nocere, Noſter monet. In eiusmodi enim caſibus, venaeſectione in pede inſtituta, ictericos mox euaſiſſe aegros, plus quam ſemel vidit.

23) *Obſeruationes de eodem argumento.* Auctore Cl. ANDOVILLE'. Hic ea, quae in praecedenti commentario a Cl. BERTRANDI expoſita ſunt, aliqua ex parte obſeruationibus confirmantur. p. 506.

24) *Deſcriptio plurium tumorum cancroſorum, in naſo et circa eum formatorum, quos exſtirpauit* Cl. CIVADIER. Maximus horum tumorum pyrum magnitudine ſuperauit, in alio autem homine quatuor itidem tumores ad naſum obſeruati ſunt, quorum unus ouum gallinaceum alii duo pugnam magnitudine exceſſerunt, alius denique pugna duplo maior fuit. Tumoribus feliciter exſtirpatis aegrotantes conualuerunt. Tabula 12 tumores iſti repraeſentantur. p. 511.

25) *Obſeruatio de hernia inteſtinali ſphacelo tacta* Auctore Cl. VACHER. Hic tantum notamus, p. 515.

facce

facco hernioſo, putredine penitus deſtructo, [illegible] ſtina nuda plane propendiſſe, et ſenſim ſenſim [illegible] cum integumentis communibus ita coaluiſſe, ut [illegible] ces continuo poſt hac eo ex loco effluerent. [illegible] autem pro egreſſis iſtis inteſtinis nude omnino [illegible] lictis negligentiorem aeger habuerit curam, nul[illegible] tamen damnum hactenus obſeruatum inde fuit.

p. 518. 26) *Commentarius de polypis uteri et vagi[illegible]* Auctore Cl. LEVRET. Vteri et vaginae poly[illegible] excreſcentia carnoſa dicitur, quae in interior[illegible] dictarum partium lateribus originem ducit. Saep[illegible] polypi cum uteri et vaginae deſcenſu, vel et inu[illegible] ſione confunduntur, tum ob pyriformem figur[illegible] quam polypus foras propendens habet; tum etia[illegible] ob cauitatem, quae in exſtirpatis poſteaque exam[illegible] natis polypis haud raro reperitur; tum ob aperu[illegible] ram, quae in baſi eiusmodi excreſcentiae conſp[illegible] citur et pro uteri inde orificio habetur. Ve[illegible] rum peculiaribus, quibus polypi ſtipantur, ſympto[illegible] matibus facile iſti ab uteri et vaginae deſcenſu alio[illegible] que etiam vaginae tumoribus dignoſcuntur. Ea[illegible]
p. 529. itaque ſigna! 1) Polypus in inferiori parte latior est, quam ſuperiori et ex collo uteri propendens, vel per ipſum orificium tranſiens, nullo orificio naturali gaudet, ſicque ab incompleto uteri deſcenſu dif[illegible] fert. 2) A completo autem diſcernitur, quod po[illegible] lypus iisdem, quae mox expoſita ſunt, inſtructus vagina nunquam obtegatur et orificium uteri ſem[illegible] per reperiatur. 3) Difficilius paulo ab uteri inuer[illegible] ſione incompleta dignoſcendus polypus, ex indo[illegible] lentia tamen et reductione impoſſibili dignoſcitur. 4) Polypus extra vaginam propendens ex eo cogno[illegible] ſcitur, quod nunquam ſecum trahat veſicam, quae tamen ſubuerſionem uteri completam ſequitur. 5) Ab hernia veſicae differt, quod neque comprimi poſſit, nec compreſſione fatigatus foeminam eo

diſponat,

diſponat, ut urinam eiiciat, ſed potius emiſſionem cohibeat. 6) Ab omenti et inteſtinorum per vaginam egreſſorum herniis differt, quod eodem nunquam uteri collum dislocetur, ipſe autem omnem reductionem reſpuat, aut in vaginam tantum eam admittat. Adſunt praeterea alia ſigna complura, quae vero, cum aliis etiam morbis competant, lubens Noſter omittit. Illuſtrantur haec pluribus obſeruationibus, ex quibus inſuper patet, uterum ſaepe ob polyporum pondus eo diſponi, ut in vaginam deſcendat; eos porro duros, ſolidos et ſcirrhoſos ideoque vera ſarcomata habendos inflammatione, exulceratione et gangraena vere corripi, ex iisdem obſeruationibus liquet.

Polypos, in primis in interiori uteri facie ortos, praecedunt vel et comitantur haemorrhagiae, quae tamen non obſeruantur, ſi in callo aut margine oriſicii uteri formantur, hique potius fluore albo aut fluxu quodam lymphatico copioſo ſtipantur. In utroque caſu uterus manu examinetur, neceſſe eſt, quo facto facilior dein habetur medendi methodus. p. 538.

Peſſaria non ſolum inutilia, ſed et nociua cenſentur, cum vel ab ipſo polypo detrudantur, vel, ſi etiam retinentur, urinae tamen fluxum cohibeant aut inſignes dolores excitent. p. 541.

Polypi, licet interiori uteri faciei adhaereant, conceptioni tamen non ſemper obſtant, nec foetus incrementum impediunt, nec etiam partum accelerant, interdum tamen iidem abortus cauſa exiſtunt. p. 543.

Polypi ab ipſo utero fortiter interdum conſtricti in vaginam deſcendunt nec raro ſponte decidunt. p. 552.

Arte deſtruuntur polypi, vel cauteriis vel ſectione, vel detorſione, vel tandem ligatura. Cauteria vix tuto applicantur tumoremque, ſcirrho ſimilem facile in cancrum mutant. Sectio magis locum p. 554.

habet,

habet, ſola tamen absque ligatura vix tuto inſti-
tur, cum ſemper haemorrhagia metuenda ſit. I-
torſionem quidem fauſto cum euentu eo in caſu
ſtituerunt, ubi tenuis et longus pedunculus, vel
ginae vel uteri tantum orificio minime vero in-
riori eiusdem faciei adhaeſit. Verum haecce m-
thodus periculo non vacat, cum et uterus inue-
et gangraena adeo corripi queat. Cunctis his pr-
ſtat ligatura, ita quidem, ut iuſto tempore et ri-
ea applicetur polypo, qui pedunculum habe-
Alias autem vix iſta auxilium praeſtat, in primis
in inſigne volumen polypus excreſcat et inuete-
tus diu iam exiſtat. Eadem haec et locum inueni
ubi polypi in cancrum iam abierunt, dum mo-
polypum pedunculo adhuc integro inſtructum eſſ
conſtet. Licet autem ligaturae utilitas vix unquam
in dubium vocari videatur, ea tamen rite applica
interdum nequit, ſi quando polypus intra vagina
adhuc includitur, ita, ut nullus plane digitis con-
cedatur aditus. Vt itaque ligatura in eiusmodi ca-
ſu applicari poſſit, Noſter ea propter peculiare in-
ſtrumentum excogitauit, quo mediante filum non
ſolum circa pedunculum ducatur, ſed et pro arbi-
trio conſtringi aut relaxari aut educi iterum poſſit.

p. 586. His expoſitis varia de polypis ſubnectuntur
conſectaria, ex quibus primaria tantum adducere
liceat. Omnes polypi, in interna uteri facie nati,
ab initio ſemper pedunculo inſtruuntur, qui vero
vix detegitur, ſi uteri orificio iſti adhaerent. I-
dem, interius nati, ſaepe, ſi increſcunt, efficiunt,
ut uterus ſubuertatur; qui vero orificio adhaerent,
vaginam extra labia non raro ſecum trahunt. Qui
ab interioribus proueniunt polypi, ſemper orifici-
um et collum uteri dilatant, quod non obſeruatur,
ſi exterius adhaerent, licet tunc quoque orificium
mutetur. Qui a Cl. Auctore *viuaces* appellantur, a
veris polypis in eo differunt, quod nulla aut ſaltem
tenui,

tenui, vix deprehendenda, membrana obtegantur atque ab ulceribus uteri internis ortum ducant. Hi abſciſſi cum ſemper propullulent, nullam medelam admittunt et incurabiles cenſentur. Cum autem veri polypi non ab ulcerato utero, ſed ab interna eius ſenſim elongata membrana proueniant, ratio etiam patet, cur medelam iſti admittant. Pedunculi, tenues et membranoſi ſi ſunt, ligati vix in ſuppurationem abeunt, ſi vero magni et carnoſi reperiuntur, ei tunc plus minus ſuppurationem concipiunt. Pedunculi plus minus tenues et ſolidi ſunt eorumque ſoliditas a diuturnitate tantum dependet. Si pedunculus tenuis eſt nec adeo reſiſtit, ſemper iſte citius, quam ipſe polypus deſtruitur, ſi vero idem craſſus et denſus eſt, contrarium euenit; inde in priori caſu polypus vix adeo mutatus, in poſteriori autem corruptus valde et putridus decidit. Sed mittamus reliqua, ne nimis longi videamur. Tabula 13. 14. 15. 16. 17. polypi variae indolis repraeſentantur inſimulque inſtrumentum iſtud propter applicandam ligaturam excogitatum tabula 13. figur. 3. delineatur, ibidemque figura 4 polypum ſiſtit, quem *viuacem* Noſter appellat.

27) *Commentarius de nonnullis haemorrhagiis peculiaribus, hisque medendi methodo.* Auctore Cl. BELLOQ. Haemorrhagias nimirum, poſt extractionem dentium et paracenteſin obſeruatas nec ullo modo compeſcendas, ope cerae mollis in alueolum et aperturam, inſtrumento *Trois-quarts* dicto, factam, intruſae cohibuit. p. 600.

28) *Collectio plurium obſeruationum peculiarium de corporibus peregrinis, quorum non nulla in partes genitales, quaedam in veſicam aliaque in anum introducta fuerunt.* Auctore Cl. MORAND. Cum breuiſſimis omnia expoſita hic ſint, inſcriptiones tantum p. 605.

tum apponere cogimur. Ita in veſica 1) fruſ-
ſtili plumbei, 2) acum crinalem, 3 et 4) fab-
5) ſpicam cerealem, tabula 18. fig. 2. repraeſe-
tam, 6) cereum, 7) ſpecillum, 8) turundam,
acum eburneam, lapidea cruſta obductam, tab.
18. fig. 3. repraeſentatam et 10) auriſcalpium, 1
in utero peſſarium, ex neglectu relictum, 12) 1
14) 15) penes, vi quadam per annulos cupreos
ferreos intruſos et ante et poſt eos tumefactos, t
itidem penem una cum ſcroto in annulum ou
ferreum intruſum et tumefactum, 17) tandem
rectum inteſtinum inſtrumentum gallis *affiquot* d
ctum, 18) radium textorium, phial m vitream
caudam porcinam introducta repererunt, haecque
corpora peregrina auxiliis diuerſimode applicat
extraxerunt.

p. 623. 29) *Recenſus methodi multiplicis ob ſectionem calculi ab Academia Regia Chirurgica uſurpatae.* Auctore Cl. LOVIS. Variae hic, ſectionem inſtituendi, enumerantur methodi, eaedem inter ſe inuicem comparantur, earumque demum utilitates, vel incommoda exponuntur. Primo itaque diſquiritur, quid de apparatu alto cenſendum; quibus cunctis de hac methodo enarratis patet, eam valde periculoſam et ideo reiiciendam eſſe. His expoſitis ſectio dein lateralis conſideratur, quae vero ob plures utilitates priori non ſolum ſuperior habetur, ſed ſemper inſtituenda cenſetur. Porro operatio iſta, lithotomo occulto peragenda, perpenditur atque primo quidem inſtrumentum poſtea autem ipſa operatio deſcribitur. Ex his autem, quae Cl. Auctor expoſuit, liquet, inſtrumentum iſtud, nouiter excogitatum periculoſum eſſe atque variis incommodis ſtipari, ita, ut ex arte commode proſcribi poſſit. Tabula 19 inſtrumentum iſtud delineatum ſiſtit.

Quod

Quod ad Cl. FOVBERTI methodum attinet, ve- p. 651.
re ea sectionis lateralis nomen meretur et ob plures utilitates reliquis praeferenda. Non solum enim ipsum corpus vesicae ad latera eiusdem colli aperitur et praegrandes inde commode educi possunt calculi, verum naturales etiam urinae humorisue prolifici viae nullo modo laeduntur.

De methodo tandem, qua Cl. THOMAS utitur, p. 653.
Noster iudicat, eam una cum praecedenti niti fundamento, et utramque parum a se inuicem differre, excepto eo, quod Cl. FOVBERT partes ab inferioribus ad superiora, Cl. THOMAS autem a superioribus ad inferiora dissecare soleat.

II.

Practical Reflexions on the Uses and Abuses of Bath Waters. Made from actual Experiments and Observations. By WILLIAM BAYLIES, M. D. London, printed for A. Millar, 1757. 8. pl. 19.

h. e.

Cogitationes practicae circa usum et abusum aquarum *Bathonienſium*, collectae ex experimentis et obseruationibus a WILLHELMO BAYLIES, etc.

Subiicimus librum, qui Londini iam 1757 prodiit, ad nostras autem tardius peruenit manus. In praefatione conqueritur Cl. BAYLIES de peruersa illa consuetudine, qua non nulli, qui medicinam faciunt, etiam in Anglia utuntur, dum ex defectu sufficientis cognitionis materiae medicae, optimis interdum et efficacissimis remediis incongrua et contraria admiscent medicamenta, quibus non solum salutarem effectum adhibiti medicamenti debi-

litant, ſed ſaepius quoque deſtruunt. Illuſtrat hoc exemplo corticis peruuiani, cuius uſus plerumque inefficax, quin nociuus, inconueniente additione medicamentorum prorſus alienorum, redditur. Idem erratum committi aſſerit Noſter a non nullis qui medicinam in thermis exercent *Bathonienſibus*, harumque virtutem medicam inepta praeſcriptione medicamentorum inutilium, ſaepeque contrariorum adulterant atque euertunt. Hunc errorem hocce emendare ſtudet libello, qui quindecim capitibus conſtat.

Primum caput introductionem et opuſculi adumbrationem continet. Quem admodum is, qui medicinam facit completam omnino habere debet medicamentorum, quibus tanquam inſtrumentis
p. 3. utitur, notitiam: ita merito poſcit Cl. Auctor, ut is, qui aquarum medicatarum uſum dirigere vult, perfecta et rationali inſtructus ſit cognitione, ex quibus aquae medicatae, et in praeſenti caſu *Bathonienſes* compoſitae ſunt. Si enim hac cognitione caret, ſaepiſſime exhibebit aegrotis ſuis, qui aquis hisce utuntur, inutilia et contraria medicamenta, quae vim aquarum non ſolum frangunt, ſed interdum etiam plane corrumpunt. Ideoque incertus omnino eſſe debet, utrum bonus vel ſiniſter effectus virtuti aquarum, an exhibitis medicamentis adſcribendus ſit? Hoc ſaepius, quam credi poſſet, in thermis *Bathonienſibus* accidere, lectoribus perſuadere Cl. Auctor annititur. Propriis deſtitutus experimentis, quae partes ſiſtunt componentes aquarum *Bathonienſium*, ad Cl. LVCAE prouocat experientias, qui in tractatu ſuo oſtendit, aquas *Bathonienſes* continere ſpiritum acidum vitriolicum volatilem, mitem, iunctum cum ſubtili atque efficaci ſale neutro, cui ſal marinus, ferrum et terra
p. 14. admixta ſunt. Qui igitur alcalina, vel ſaponacea durante cura exhibebit, neceſſario harum aquarum naturam

naturam atque efficaciam deſtruet: qui vero ſimilia, homogenea vulgo dicta, dabit, earum virtutem non parum augebit; cum acidulis enim illas comparat aquas. Etiamſi Cl. Auctor multum quidem probat, praecipuum effectum deriuandum eſſe ab illarum partium componentium particulari indole atque virtute: tamen non negat, multum quoque expectandum eſſe ab earum coniunctione et naturali compoſitione, quippe quam nulla arte imitari poſſumus. Non parum etiam efficacitatis tribui cenſet ſingulari gradui caloris, ope cuius particulae intime inter ſe miſcentur, et illa naturalis et ſpecifica compoſitio aquarum conſeruatur. p. 25.

Caput *ſecundum* agit de aquarum *Bathonienſium* acido vitriolico volatili, eiusque natura et uſu, nec non de virium mutatione, quam aquae ſubeunt, quando illud acidum receſſit. Supra monuimus, Cl. Auctorem ipſum non feciſſe experimenta, ſed illum fiſum fuiſſe experientiis Cl. LVCAE, cuius librum ad probandum acidum vitriolicum volatile denuo citat. Inter ea duas experientias ſimplices allegat, quibus praeſentiam ferri, et vitrioli volatilitatem probare conatur. Vna eſt, quod aquae *Bathonienſes* additione miſturae vegetabilis adſtringentis colorem purpureum acquirant: altera, quod aquae hae pelluciditatem perdant, quando frigidae fiunt; eandem pelluciditatem vero recipiant admiſtione iuſtae quantitatis acidi. Hinc concludit, ferrum eſſe ſolutum in acido, quod ſpeciem quidem attinet, volatili. Porro exinde colligit, magnam eſſe differentiam, inter aquam calide, et aquam frigide potam: illam putat ob volatile acidum adſtringente et ſtyptica gaudere natura, hanc vero virtutem roborantem, quae ex particulis ferratis fixis remanet, tantum adſeruare. Eandem igitur aquam pronuntiat ſalutarem vel noxiam uni eidemque aegroto, pro conditione caloris, quem habet, p. 35. p. 37.

quando bibitur. Id probare annititur exem-
p. 39. ſeu caſu feminae cuiusdam, *Colborne* dictae, et
Cl. NVGENT cum Cl. Auctore communicato. De
illo acido volatili aquarum medicatarum Cl. Auctor
merito dubitat, id ulla arte ſeparate poſſe obtineri
p. 46. Valde ſimilem tamen ſpeciem eiusmodi acidi mine-
ralis vitriolici acquiri credit, dum ramenta ferri in
ſale acido ſuccini ſoluere, et hanc ſolutionem cum
ſpiritu vini miſcere docet. Hac miſtura principi-
um chalybeatum aquarum mineralium admodum
augeri poſſe opinatur.

p. 49. *Tertium* caput exponit purgantem neutrum
amarum, qui in aquis *Bathonienſibus* continetur, ſa-
lem, eiusque naturam, qualitatem et effectum. Ex-
plicat ſimul diuerſas euidentes virtutes quorundam
ſalinorum contentorum, licet ſenſibus diſtingui ne-
queant. Primarius ſal, qui poſt euaporationem et
cryſtalliſationem aquarum *Bathonienſium* obtinetur,
eſt, ſecundum Cl. Auctorem, baſis ſalis marini, ſeu
alcali minerale coniunctum cum acido vitriolico.
Hic ſal ad claſſem ſalium neutrorum pertinet: ef-
feruescit enim neque cum acido, neque cum alcali.
Vti ex ſequentibus patet, ad producendum eiusmo-
di ſalem neutrum Cl. Auctor non requirit ſolum ſa-
lem alcalinum, ſed terra alcalina illi etiam ſufficit.
Cl. enim HVXHAM in tractatu ſuo de *antimonio*, ut
refert Noſter, obſeruauit omnium ſalium neutro-
rum effectum ſolum modo differre pro diuerſis ter-
ris, quibus acidum uniuerſale coniunctum eſt. Alii
quoque ſcriptores, qui de ſalibus in aquis medica-
tis obuiis egerunt, ex ſententia Cl. Auctoris affir-
marunt, licet hae aquae multum varient, earum
ſaltem ſales omnes eſſe productos ope ſolius acidi
uniuerſalis, ita cum quibusdam terreis ſubſtantiis
connexi, ut has perfecte ſoluant, et in aqua infini-
to modo diſtribuant. Attamen Cl. Auctor ſtatuit
omnium ſalium neutrorum effectum differre, pro

diuerſa

diuerſa natura non ſalis alcalini ſolum, ſed et ſalis acidi, ex quibus illi compoſiti ſunt. Eorum igitur virtutem ex ſolis obſeruationibus et experientiis uſque eo colligere et diſcere monet, donec naturam alcali et acidi, ex quibus ſales neutri conflati ſunt, perfecte perſpectam habemus. Eius modi p. 54. enim ſales neutri, quod ad eorum externum habitum, externasque qualitates pertinet, admodum ſimiles ſibi inuicem videri queunt, qui tamen pro effectu, valde differunt, quod exemplo ſalis ex aquis *Bathonienſibus* parati et ſalis GLAVBERI veri et ſpurii, qui illius loco in Anglia ſaepe venditur, probare ſtudet.

Caput *quartum* ſiſtit alteram ſpeciem ſalis re- p. 77. perti in aquis *Bathonienſibus*, et quem ſalem marinum eſſe contendit. Hac occaſione in huius ſalis naturam, qualitates et effectus, quos non ſolum in aqua, ſed et per ſe in curatione morborum praeſtat, inquirit. Denuo allegat Noſter teſtimonium et experientias Cl. LVCAE, qui ſaepe memorato opuſculo demonſtrauit, ſalem, qui poſt ulteriorem euaporationem larga ſatis quantitate, ſub forma cryſtallorum cubicarum remanet, eſſe ſalem marinum. Hic ſal omnes qualitates ſalis neutrius habet: genitus enim eſt ex alcalino corpore et ſpiritu acido, qui ſpecificae tamen eſt indolis. Quando enim additur ſpiritui nitri, reddit ei vim ſoluendi aurum: quum e contrario ſimul ei demit facultatem diſſoluendi argentum. Ei igitur multum virtutis propter ea tribuit Cl. Auctor in multis morbis, quoniam noſtri humores in ſtatu ſano de ſale illo marino multum participent, et inſuper aquae, hocce ſale praeditae, prae illis, alio ſale dotatis, in minora ideo facilius poſſint penetrare vaſa, quia aquae, aliis ſalibus ita ſaturatae, ut nihil amplius capere queant, largam adhuc quantitatem ſalis marini recipiunt atque ſoluunt. Et quum aquae *Ba* p. 82.

thonienſes non paruam copiam ſalis marini con-
nent, multum virtutis ſibi promittit Cl. Auctor
huius ſalis commiſtione cum aliis contentis par-
bus.

p. 89. Caput *quintum* exhibet terram abſorbentem
aquis *Bathonienſibus* repertam, eiusque naturam
uſum. Omnes fere aquae poſt euaporationem
ſiſtunt terram, quam ſolutam habuerunt. Quo plu
autem mites et diſſolubiles eiusmodi fuerunt terrae
eo ſalubriores praedicat Cl. Auctor aquas, quae hi
praeditae ſunt. Principalis vero huius terrae in
aquis *Bathonienſibus* uſus in eo conſiſtit, quod iun-
cta ſit cum acido minerali, et hac ratione ſalem
neutrum formet, qui, uti iam percepimus, eximiae
eſt efficaciae. Magna igitur differentia intercedere
neceſſario debet inter aquam, quae particulas ſuas
terreas adhuc ſolutas ſuſpenſasque tenet, ut oculis
perfecte pellucida appareat, et inter aquam, quae
turbida eſt, et ex cuius interſtitiis terra, ante pla-
ne ſoluta, vel ob defectum caloris, vel ob diſcef-
ſum acidi mineralis volatilis, ſeceſſit et fundum pe-
tiit. In hoc caſu haecce terrae nullum alium edere
queunt effectum, quam aliae abſorbentes terrae: in
illo autem maiorem omnino ab illis exſpectat Cl.
Auctor effectum, licet hoc pluries experiri, et hanc
ſententiam experientiis magis confirmare ipſe ſu-
deat.

p. 97. Caput *ſextum* explicat aquarum oleoſum princi-
pium, quod ſedulo diſtinguere monet a vulgari
phlogiſto, ſeu principio inflammabili ſulphureo
corporum, quia a nonnullis confundi dicit. Hoc
enim in diſſolutione corporum in aerem abire affir-
mat, illud autem in aquarum *Bathonienſium* parte,
poſt euaporationem reſidua, remanere. Vt lecto-
ribus ſuis hoc perſuadeat rurſus teſtem adducit Cl.
LVCAM. Hic aſſeruit aquas illa oleoſa materia
plurimum diuites in primis aptas eſſe ad fermentan-
dum

lum et putrescendum. Per priorem operationem et mutationem obtineri contendit spiritum inflammabilem: per posteriorem vero volatilem tantum acrem cum phlogisto. Ex his colligere audet Nosther oleosam materiam aquarum *Bathonienſium* minime esse τὸ φλογιστὸν, sed oleosam materiam, communem omnibus aquis. p. 102.

Caput *septimum* differit de qualitate aquae simplicis in curatione morborum, et quam efficaciam huic aquae *Bathonienſes* debent. Nil singulare, quod non omnibus notum sit, in hoc capite occurrit, hinc ad sequens properamus. p. 103.

Octauum caput agit de mutatione, ad quam subeundam singulae partes ingredientes aquarum *Bathonienſium* secundum earum naturam et qualitates aptae sunt, quando inuicem miscentur: accedunt quaedam notae censoriae in nosocomium *Bathonienſe*. Quotidiana omnino edocemur experientia, diuersa corpora multum mutari eorum mistione, ut inde non solum differentem, sed interdum etiam contrariam obtineant indolem, quam antea habuerunt. Hinc Cl. Auctor colligit hoc idem accidere salibus et partibus, quae ingrediuntur aquas *Bathonienſes*. Minime igitur concludendum esse docet, a partium separatarum indole et efficacia ad effectum totius misturae. Licet enim partes separatae hanc vel illam qualitatem possideant: tamen non sequitur, ut eandem illae etiam conseruent, quando in aqua solutae et cum aliis mixtae sunt. Diuersi omnino inde oriri possunt effectus, qui ex partium ingredientium coniunctione et compositione explicandi sunt. Quum vero scientia theoretica chemica hic non sufficit, ad experientiam et obseruationes practicas, tanquam securissimum ducem et magistrum perfugere sedulo monet. Hac occasione multum dolet, vehementerque inuehitur in medicos, qui medicinam in nosodochio generali p. 118. p. 121.

Bathonienſi exercent, quod huc uſque neglexerunt ex copia aegrotorum, qui quotannis illuc veniunt atque recipiuntur, colligere atque edere catalogum caſuum, ſeu morborum, in quibus aquae *Bathonienſes* ſalutares vel noxiae repertae fuere. De-
p. 133 ficientibus igitur eiusmodi hiſtoriis, Noſter ſibi ſumit ex principiis cognitis, aliisque ex chemia deſumtis experientiis, effectus aquarum ope ratiocinatorum, ſeu ut philoſophi loqui ſolent, a priori determinare. Principalem ideo cauſam ſingularis illius facultatis operandi quaerit in perfecta et completa diſſolutione ferri, et terrae calcareae in ſpiritu illo acido vitriolico volatili, ope cuius cum aqua intime miſcentur, et nouum producitur corpus, quod ſtupendos ſaepe et maiores edit effectus, quam ex parua ferri et terrae copia, quae in aquis conti-
p. 139. netur, comprehendi poteſt. Huc refert et coniunctionem ſalis neutrius aquarum cum ſale marino, ex quorum copulatione reliquos effectus explicat, quos in corpore humano praeſtat.

p. 146 Caput *nonum* pauca continet de generali aquarum *Bathonienſium* qualitate. A ſpecifica particularum ingredientium qualitate procedit Cl Auctor ad aquae compoſitae generalem qualitatem, ſeu agendi et applicandi rationem. Quoniam autem haec ſine perfecta cognitione corporis humani neque in-
p. 152. telligi neque tradi poteſt, in capite *decimo* ad explicationem ſtructurae corporis humani et animalis oeconomiae tranſit.

Quum omnibus cognita hic tantum inuenimus,
p. 166. ad caput *undecimum* progredimur, quod de ſoluentibus in genere, eorumque natura et effectu agit. Liquores ſoluentes, qui menſtrua vulgo audiunt, tanquam mechanica merito conſiderat Cl. Auctor inſtrumenta, quorum virtutem ex eorum figura, magnitudine, duritie, grauitate explicare ſtudet, licet demum non neget, experientiam in multis cognoſcen-

cognoscendis effectibus non prorsus esse excludendam. Quum sanguis plurimum ex aquosis partibus constat, omne id, quod in aqua solui, hinc cum sanguine misceri potest, ad soluentia pertinet. Aquosa igitur medicamenta, salibus praedita, potentissima in natura sunt soluentia. Facile enim sanguinem intrare, cum humoribus nostris commisceri, fibras solidas hinc stimulare, viscidum ac glutinosum, quod alia aquosa intactum relinquunt, soluere et euacuare possunt. In praecedentibus vero Cl. Au- p. 172.
ctor demonstrauit, terras praesertim alcalinas, quando ab acidis dissolutae sunt, naturam acquirere salium, hinc ab eis eundem in corpus humanum sperandum esse effectum. Soluentium autem liquorum, siue menstruorum, virtus multum iuuatur calore, siquidem pro huius augmento illorum vis augetur.

Hinc in capite *duodecimo* aquarum *Bathonienſium* p. 188.
calorem peculiarem ponderat, et simul mirabiles mutationes exponit, quas calor ad virtutem soluentium liquorum, seu menstruorum, confert. Hac occasione non nullas adducit experientias, ubi pro diuerso gradu caloris, diuersi secuti sunt effectus: id quod exemplo albuminis oui, et seri sanguinis in aqua bulliente vel tepida cocti illustrat, cui experimentum urinae, quae dum frigescit, crassas particulas deiicit, dum vero denuo calescit, omnes deiectas partes rursus soluit et recipit, adiungit. Adplicat haec in primis ad usum externum aquarum *Bathonienſium* in balneis: quod enim eorum internum attinet, sufficientes deesse experientias dolet.

In capite *decimo tertio* Cl. Auctor disserit de fe- p. 195.
bribus, quae aquis *Bathonienſibus* interdum excitantur: ubi simul harum utilitatem in curatione morborum chronicorum ostendit. Non omnes febres, praesertim quas *accidentales* vocant, statim medica-

mentis tentandas esse, bene monet: illarum enim beneficio insanabiles saepe curari perhibet morbos, qui remediorum usu vix non semper peiores reddunturac lethales. Simili modo de febribus usu aquarum *Bathonienſium* excitatis iudicat. Dum enim dictae modo aquae vires vitae roborant, hinc circulum sanguinis accelerant, facile accidere potest, ut accendant febres, quae pro constitutione humorum atque partium solidarum, salutares vel funestae fieri queunt. Hoc igitur medicus, qui curam secundum rationem dirigere vult, bene perpendere debet, ne illas praematuro usu temperantium aliorumque remediorum statim extinguat, vel has prorogato usu aquarum augeat. Clarum hoc facit exemplo paralysis, quae a diuersis oriri potest causis: vel a viscido, et alia tenaci, sed dissolubili materia, neruos in genere premente: vel ab obstructione cerebri, orta a praeternaturali influxu humorum non facile soluendorum. In hoc casu usus aquarum, et inde accensa febris necessario nocebit: in illo autem iuuabit et resolutionem neruorum tollet. Is igitur aeque taxandus est, qui aquas *Bathonienses* in omni paralysi statim reiicit, ac ille, qui eas prae omnibus uniuersaliter extollit.

p. 206. In capite *decimo quarto* quaedam addit de usu externo aquarum *Bathonienſium*. Tria hic Cl. Auctor potissimum examinanda putat. Primum, quid efficiant balnea aqua simplici parata: deinde, qualis effectus sit futurus, quando his balneis eaedem partes super adduntur, quae in aquis *Bathonienſibus* continentur: post, quid expectandum ab iisdem aquis differenti ratione externe applicatis in diuersis morbis. In primo membro trita occurrunt: ostendit enim Cl. Auctor eiusmodi balnea laxare fibras. In secundo contra probat, balnea ex aquis *Bathonienſibus* parata, ob principium ferratum, et terram calcaream, quae ambo in acido volatili soluta

luta tenentur, fibras potius adſtringi et poros cutis excretorios magis claudi. In hac adſtrictione quoque latet ratio, cur febres ab eiusmodi balneis ſaepe accendantur, quae ſi prudenter tractantur, optimam praeſtant reſolutionem obſtructionum, quae cauſam plerumque praebent morbis diuturnis. In tertio membro ſpectat ad balnea vaporis, et illum modum, quo aquae per ſtillicidium *la Douce* dictum adplicantur. Sed multum conqueritur hos aquis utendi modos nondum apud *Bathoniënſes* ſatis eſſe in uſu.

Sequitur nunc ultimum ſeu *decimum quintum* ca- p. 235. put, quod inſcribitur: conſequentiae ex praecedentibus ductae, et annexae inde concluſiones. Nil autem continet, quam praecedentia effata atque dogmata breuius contracta, et aphorismorum in modum enunciata.

III.

Traité d'Oſteologie traduit de l'anglois de M. MONRO, Profeſſeur d'Anatomie et de la Societé Royale d'Edimbourg, ou l'on a ajouté des planches en taille-douce, qui repreſentent en naturel tous les Os de l'adulte et du foetus, avec leurs explications, par M. SVE Profeſſeur et Demonſtrateur d'Anatomie aux Ecoles Royales de Chirurgie, de l'Academie Royale de Peinture et de Sculpture, Cenſeur Royal et Conſeiller du Comité de l'Academie Royale de Chirurgie. Premiere et ſeconde partie, à Paris, chez Guillaume Cavelier fol. Imperial. alph. 6. pl. 21. Praefat. pl. 13. tab. aen. XXXI. duplices.

h. e.

Tractatus de Osteologia ex anglico Cl. MONRO opusculo gallice versus, adiectis tabulis aes incisis, quae ossa adulti et foetus ad naturae veritatem, cum explicationibus sistunt. Auctore Cl. SVE, etc. Pars I et II.

Anatomici studii incrementum et praestantiam iconibus ad naturae veritatem delineatis et in aes incisis multum adiuuari et augeri nemo dubitat, in primis autem partium putredini facile obnoxiarum conseruatio, variis quidem subsidiis hactenus tentata, non melius, quam in iconibus accurate elaboratis praestatur. Hanc attentionem itaque nonnulli in ossium fabrica declaranda ferme supervacaneam pronunciarunt, cum ossa exsiccata, per multos annos sine euidenti quadam mutatione, conseruari et in usus eorum, qui figuram, proportionem et fabricam potissimum crebrius repetendo cognoscere et ut normam considerationis partium mollium applicare volunt, impendi queant. Et nos mirati fuimus post splendida et pretiosa CHESELDENI et ALBINI opera, delineationes nitidas et accuratas ossium exhibentia, nouum nunc prodeat, elegantia iconum prioribus vix cedens et ex hac parte omnino commendandum.

Cl. SVE, quem in rebus anatomicis et ad ossium doctrinam praecipue spectantibus disquirendis maxima cum attentione versari iam alibi declarauimus,* in praefatione operis rationem reddit, et praemissis generalibus quibusdam annotationibus de medicina, anato-

* vid. Memoires de Mathematique et de Physique presentés a l'academie royale des sciences, de Paris Tom. II. Sur les proportions du Squelette de l'homme. p. 572. vid. Comment. nostr. Vol. VI. Part. III. p. 535.

anatomen potiſſimum ad eam perficiendam multum conferre, oſteologiam autem tanquam primam partem reliquis praeferendam eſſe, oſtendit. Ipſe itaque icones et ſceleti totius et oſſium ſingularium vario ſub poſitu conſideratorum delineare et in aes incidere curauit, et explicationem accuratam figurarum addidit. Inter omnes autem libellos, qui oſſium fabricam accurate deſcribunt, Cl. Auctori perplacuit Cl. ALEXANDRI MONRO, Anatomiae Profeſſoris Edinburgenſis ſuccincta deſcriptio, * quam itaque diſcipulo quodam linguae anglicae gnaro exhibuit, quo ex ea in gallicam transferret et ita huius operis editioni accommodaret.

Tractatus igitur praeſens oſteologicus in duas partes diuiſus eſt, quarum prior Cl. MONRO oſteologiam, annotationibus non nullis paſſim adiectis, exhibet, altera autem tabulas oſteologicas cum explicatione Cl. SVE comprehendit.

De anatome oſſium Cl. MONRO nihil eſt, quod adducamus, cum illa ab anno vigeſimo ſexto huius ſeculi, variis ſed nec adeo inter ſe diuerſis editionibus, praeter illam, quae nuper 1758 prodiit, omnibus rei anatomicae indagatoribus iam dudum innotuerit, et illam laudem vere meretur, quam Auctor noſter eidem tribuit. Notulae, quas hic ſubiecit, continent non nulla Auctorum citata, eminentias, depreſſiones et foramina, quae Cl. MONRO forte neglexit, curioſas tandem non nullas obſeruationes, quae oſſa concernunt v. c. de numero vertebrarum et coſtarum aucto, de coſtis coalitis et bifidis, de oſſe ſquamoſo duplici cet., ex quibus praecipuas nunc adducturi ſumus.

Vbi de oſſium geneſi diſſeritur, varia oſſificatio- p. 21.
nis praeternaturalis exempla adducuntur; e. g pleura magna

* The Anatomy of the human bones and Nerves etc. by ALEXANDER MONRO, Edinburgh, 8. Edit. V. 1750.

magna ex parte ossea; thyroidea glandula ossi particulis referta. Perhibet etiam Cl. Auctor se pia matre et plexu choroideo, nec non in lente stallina puncta quaedam ossea deprehendisse.

p. 24. Gradus sex ossium emollitorum construit Nosser, et quaedam de morbo foeminae *Supiot* proponit, cuius ossa in sexto gradu emollita et in sanie quasi conuersa erant, non nisi periostii vestigiis remanentibus. Causam huius morbi in abusum salis communis coniicit, quo foemina illa per duos annos immoderate usa fuerat.

p. 47. Non nullae porro ossium Wormianorum varietates recensentur, v. c. os parietale sinistrum quarta quidem posteriori et superiori sua parte, ut os distinctum conspicuum erat.

p. 93. Tredecim ossibus maxillae superioris Nostra cum Cl. BERTIN adiungit minora ossa turbinata sphenoidealia (*petits cornets sphenoidaux*), quae triangularis figurae sunt, inferius conuexa, superius concaua, inter partem posteriorem ossis ethmoidei et partem anteriorem et inferiorem ossis sphenoidei, ante cristam eius et ad partem mediam superiorem vomeris sita. Horum ossiculorum appositio ad os ethmoideum tab. VIII. fig. 3 et 4. ad os sphenoideum fig. 2. delineatur. fig. autem 5 et 6 utraque ossiculorum facies exhibetur et tres anguli, tria latera et incisura quaedam icone exprimuntur.*

Cellu-

* Quae de his ossiculis obseruauimus, quod nimirum verae partes ossium palatinorum sint, breuiter indicabimus. Os quodlibet palatinum ex parte primaria, in palato visa, ad latus ossis maxillaris superioris, ante ossis sphenoidei processus pterygoideos sursum ascendit, inde satis certam partem sursum et extrorsum ad orbitam perficiendam mittit, aliam vero introrsum versus vomeris mediam et superiorem partem dirigit, eo in loco et ossi sphenoideo vicinam et ante posteriorem flexum ossis turbinati superioris, quae pars ossis

Cellularis contextus in maxillis quatenus alueo- p. 94.
los dentium conſtituit, ex iis obſeruationibus huc
refertur, quas Cl. Auctor alibi expoſuit.*

Corrigitur Cl. DEVENTER, qui maximum omni- p. 131.
no artis obſtetriciae momentum in dirigendo oſſe
coccygis poſitum eſſe autumat, cum hoc non poſ-
ſit obſtaculum efficere niſi in ſingulari caſu, ubi foe-
tus caput in inferiori peluis apertura retardatur.

Rarior omnino caſus oſſis humeri in extremita- p. 162.
te ſuperiori capite deſtituti et cauitate inſtructi de-
ſcribitur, loco cauitatis vero anterioris et ſuperio-
ris ſcapulae caput eminens conſpiciebatur.

In infante octo annorum defectus capitis et col- p. 186.
li femoris deſcribitur, in hac enim ſuperiori ex-
tremitate femoris obliqua tantum apparebat ſuper-
ficies, ſimili ſuperficiei in oſſe ileum appoſita et
validis ligamentis firmata. Deſtructio partium
praeternaturalis in tenera aetate videtur.

In parte altera exhibetur ampliſſima figurarum p. 213.
delineatarum explicatio, quam ita inſtruxit Noſter,
ut vero ſitu, ſub quo os delineatum fuit, indicato
omnes partes, quae in conſpectum veniunt recen-
ſeantur et indicentur. Oſſa adultorum a tab. I ad
XXV. foetus autem, in primis ſceleta diuerſae
magnitu-

oſſis ethmoidei eſt, collocatam. Haec certe portiuncula nouum officulum, nunc deſcriptum, utrinque ſiſtit, quod ideo a Cl. Auctore in tabula X. fig. 12 ad eminentiam paruam, quae in oſſe palatino prope literam C, quae inciſuram indicat, ad foramen pterygo palatinum concurrentem, et quae apte expreſſa eſt, adhaerens delineari debuiſſet. Hanc tamen oſſeam laminam ad os palatinum certo pertinere, in connexa et bene conſeruata oſſium caluae et maxillae ſuperioris compage, caua narium retrorſum inſpiciendo egregie apparet. Et nos, dum haec ſcribimus, os palatinum a reliquis oſſibus ſeparatum intuemur, in quo haec oſſea lamina vere adhaeret.

* Memoires preſentées. l. c. Tom. II. p. 577.

magnitudinis a tab. XXVI ad XXIX. oſſa tandem diſſecta ad interiorem fabricam cognoſcendam tab. XXX et XXXI. exhibentur. Tabulae ipſae duplices ſunt, et in figuris linearibus litterae additae eas partes, quae prae reliquis attendendae ſunt, indicant; in oppoſitis vero icones umbra et luce diſtinctae et nitidae exaratae exprimuntur. Tabulas ipſas uti et nonnullis conſpicimus *Tharſis* delineauit et *Iardinier* ſculpſit, Tabulas vero et ſub initium et ſparſim in literis quoque initialibus ornamenti cauſa adductas *I. B. M. Pierre* delineauit et N. Dupuis ſculpſit.

IV.

Recherches hiſtoriques et critiques, ſur les différens moyens qu'on a employés juſqu'à préſent pour refroidir les liqueurs, où l'on en indique un connu de temps immémorial et pratiqué dans la plus grande partie de l'Univers, par lequel il eſt facile ſans nulle dépenſe, et avec un ſoin très léger, de ſe procurer dans les plus grandes chaleurs de l'été, des boiſſons très frâiches. MDCCLVIII. (*ſine loco*) 12. pag. 5.

i. e.

Relatio variorum modorum, qui in calida tempeſtate ad fluida refrigeranda omni aeuo adhibiti fuerunt, etc.

Libellus hic, cuius Auctorem Cl. ROUX, medicum Pariſienſem eſſe accepimus, nihil noui continet nec artis huius fluida in calidiori tempeſtate frigefaciendi nouam docet methodum, ſed illius tantum conſuetum artificium, hiſtoriam, auctoresque qui de eo ſcripſerint experimentaque inſtituerint,

erint, recenſet, inter quos inuenimus ROBERTVM BOYLE, GEOFFROY utrumque, ſeniorem et iuniorem, AMONTONS, MAIRAN FARENHEIT, MVSSCHENBROEK, in quem Auctor iuſto iniurius inuehitur, REAVMVR, RICHMANN, CVLLEN et BAVME', quem ob explicationem obſeruationis RICHMANNI, qua ille mercurium in thermometro mercuriali, in aqua poſito, quae aere tunc frigidior erat, cum ex illa extraheretur, deſcendere viderat, falſo ſibi ſumtam, plagii reum accuſat. Imperioſa neceſſitas gentes meridionales p. 5.
eo adegit, ut cum in fluidis, quae quam citiſſime atmoſphaerae calidioris temperamentum aſſumunt, non habuiſſent, quo ſitis exſtingui poſſit, varias artes excogitarent, quibus ardentem illorum calorem temperare queant; quarum ſimpliciſſima eſt, cum vaſa, quae varia potus genera continent, liberiori ventorum afflatui exponuntur. Vtuntur eam ob cauſam vaſis argillaceis maxime porofis, quae inſuper linteis quibusdam obuoluuntur continuoque humectantur. Agmina iſta, ſecuritatis cauſa iter gregatim facientia, (*Caravanes*) cum vaſta illa p. 7.
deſerta peruagantur, ſibi proſpiciunt, ne deſint utres, quos, poſtquam illis ingratum coreaceum odorem demſerunt, in ventrem equi ſuſpendunt, qua re, ob perpetuum illius motum, ad refrigerandam aquam nihil efficacius eſſe dicitur. Alios docent experimenta, a viris allegatis facta, modos fluidis conciliandi frigus, quos Cl. Auctor ſub finem libelli ad quatuor redegit momenta. Fluida ſcilicet refrigerantur 1) euaporatione, 2) ſolutione ſalium mediorum in aqua, 3) mixtione illorum corporum cum glacie, quae illam diſſoluere ſeſeque intimius cum aqua, quae ex eius ſolutione emanat, unire poſſunt, 4) applicatione acidorum non nullorum ad ſalia quaedam media, praecipue ad ſal ammoniacum et alcalina volatilia. Vt igitur illi,

quibus id opus est, feruidiori aestatis tempes
habeant, quo varia potus genera reficere pos
suadet Noster, ut vel vasa, quibus illa continen
glacie circumsepiant, vel si illa praesto non
vascula illa aquae, in qua salis cuiusdam, prae
pue ammoniaci quantitas soluta sit, immergant
His, quibus sal ammoniacum nimis pretiosum v
deatur, suadet, ut more Indorum vascula sua, lint
humidis obuoluta, ventorum perflatui exponant.

V.

D. IOANNIS CAROLI HEFFTERI, Medicinae Practici Zittauiensis, monasterii Mariaualensis Physici, Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum Collegae, et Lipsiensis Societatis Artium Liberalium Membri honorarii, Museum disputatorium physico-medicum tripartitum. Voluminis I. Pars I. Praesides dissertationum designans. Instituti ratio et quaedam de collectione, collocatione et utilitate dissertationum, ad rem naturalem et medicinam spectantium, momenta praemittuntur. Zittauiae Lusatorum. Typis Io. Gottlieb Nicolai. 1756. 4. 2 alph. 19 pl. praef. 5 pl.

Musei disputatorii physico-medici Hefferiani Voluminis I. Pars II. Titulos materiarum indicans ib. eod. 10 pl.

Musei disputatorii physico-medici Hefferiani Voluminis I. Pars III. Designationem respondentium complectens. ib. eod. 10½ pl.

Historiam

Hiſtoriam medicinae litterariam multum ad ſcientiam medicam amplificandam contribuere, illam autem non ſolum medicorum vitis, ſed etiam librorum cognitione abſolui, nemo negabit. Hinc omnino neceſſe eſt, ut omnia ſubſidia, in hunc finem publice edita, magis magisque innoteſcant. biographiae medicae in hiſce commentariis copioſius recenſentur; librorum medicorum varia fuit occaſio cognoſcendi et diiudicandi; nec diſſertationes phyſico - medicas, ſingulatim et collectim promulgatas, praetermiſimus. Nunc plane nouum et quidem utiliſſimum atque facillimum inſtitutum medicis, in primis aeſtimatoribus et collectoribus diſſertationum ſuppeditare poſſumus. Audiamus ipſum Auctorem, qui in praefamine rationem et methodum huius muſei clare et perſpicue paragraphis XXXIII. explicauit.

Cum medici clinici officium maxime laborioſum plerumque ſimul faſtidioſum ſit §. 1. ad idem facilitandum medicus ſtudia quaedam ab hoc officio non plane remota, attamen quodam, modo diuerſa, ſibi eligere debet, quibus tanquam ſuccedaneis otium quaerens delectatur §. 2. et exantlatis quotidianis laboribus, quos in conſuetudinem hominum aegrotorum, adeoque miſerorum, impendit, per unam alteramue horam in priuatis ſtudiis excolendis oblectamento fruitur. Eiusmodi honeſtum otium Cl. Auctor praeter reliqua in collectione, diſpoſitione et lectione diſſertationum phyſicarum et medicarum quaerit, propterea quod cum eodem aſſiduus labor, qui tamen a clinicis arduis et moleſtis functionibus differt, atque iucunda utilitas coniungitur §. 3. Vtrumque momentum §. 4. uſque ad 11. ſufficienter explicatur, variaeque obiectiones reſtringuntur; in primis autem innuitur, ſcientiam phyſico - medicam ex diſſertationibus minime addiſcendam, ſed cum iudicio adhibito ſupplen-

dam et augendam esse. At enim vero nuda et simplex collectio dissertationum usum praescripto non praestaret, nisi ampla earum suppellex facilimo et commodissimo ordine collocetur et asseruatur. Hinc postquam §. 12 et 13. varias ordinandi methodos diiudicauit, atque §. 14. de modo dissertationes conscribendi, §. 15. de ritibus, qui in iisdem defendendis obueniunt, et §. 16 ad 19. de earum Praeside, Respondente et materiis cogitata sua praemisit, §. 20 ad 22. methodum suam ordinandi exponit. Nimirum omnes dissertationes physico-medicas, quotquot possidet et emit, singulatim ligatas, secundum ordinem alphabeticum praesidum, seu his deficientibus, respondentium disponit et collocat. Quando autem unus praeses plures, quam unam dissertationem edidit, iterum hasce, non ordine chronologico, vel respondentium, sed secundum materiarum seriem alphabeticam designat. Hanc methodum emtioni, lectioni et utilitati maxime adaequatam, aptissimam et facillimam esse, varia ipsi persuadent argumenta, quae tam in textu, quam in annotationibus explicat, et ipsum museum omnia satis superque testatur. Vt vero haec methodus eo magis completa sit, praeter dissertationes physico-medicas etiam propemptica, epistolas, orationes eiusdem generis, nec minus commentationes ad iuris prudentiam medicam et theologiam casualem spectantes museo inseruit. In cuiuslibet autem dissertationis designatione octo momenta recensentur: 1) Praesidis nomen natalitium cum annexo praenomine: SALZMANN, IO; 2) Titulus contenti siue rubrum dissertationis: *Encheirisis noua, qua ductus thoracicus una cum receptaculo chyli in quouis subiecto humano demonstrari potest*; 3) Respondentis praenomen cum annexo nomine natalitio: IEREM. ADAM LEITERSPERGER; 4) Patria respondentis: *Argentoratens.* 5) Locus, ubi habita

habita vel edita fuit: *Argentorat.* 6) Annus, quo promulgata vel recusa est: 1711; 7) plagularum numerus *pl. 6. c. fig.* 8) Occasio et scopus, qua et quo scripta fuit: *diss.* Secundum ordinem iam descriptum omnes illae dissertationes, quae numerum 9116 attingunt, in prima musei parte designatae sunt. In altera parte materiae et contenta, et quidem cuiuslibet dissertationis subiectum et praedicatum alphabeti serie, per numeros indicantur, e. gr. *Alkahest* 1801. 7636. 8340. *Alkermes confectio* 642. 1978. 7843. *Allantois membrana.* 8166. *Allium* 2854. 2855. 8398.; in tertia denique Respondentium nomina, secundum litterarum ordinem iterum ad numeros primae partis reuocantur. e. gr. ABELIVS, HENR. CAS. 65; ABRAHAM, IO. FRID. 4447; ACHVSIVS, CAR. CHRIST. 7233; de quorum omnium utilitate et iucunditate Cl. Auctor §. 23 ad 26. agit, quibus §. 27. normam et usum huius musei adiungit, et §. 28 rationes addit, cur hoc museum in publicam lucem editum fuerit. Harum praecipuae sunt: 1) ardor, plures dissertationes possidendi et museo huic inserendi, 2) ut medici, qui dissertationum collectione delectantur, eius conamina aequi bonique consulant, iuuent, promoueant, illumque doctiorem reddant, ita ut museum hoc inchoatum, nisi omnibus numeris absolutum, satis tamen completum sensim sensimque euadat. Cum igitur hoc museum omni modo augeri debeat, nec Cl. Auctor diligentiam et sumtus abhorrere velit, supplementa in lucem exponere §. 29. pollicetur. Volumen enim hoc primum nunquam augmentatum recudi debet, nec commode potest, quia omnes numeri partis II et III. maxima cum difficultate commutari et ad partem primam applicari deberent. Praeter hoc museum typis expressum Cl. Auctor designationem omnium dissertationum physico-medicarum, quotquot in

catalogis, in nouellis litterariis et in curriculis
tae distractas videt, in unum volumen §. 31. sec
dum musei ordinem redegit, id quod sub no
ne *repertorii uniuersalis disputatorii* pro priuato
custodit. Vt igitur non solum museum eo facil
supplementis augeri, sed etiam repertorium, ma
scriptum, augmentis suppleri queat, omnes, q
dissertationes vel promulgant, vel possident, vel ve
dunt, itidem rogat atque obsecrat, ut, nisi cunct
dissertationes ipsas, earum tamen catalogos ill
transmittant, vel eas dissertationes, quae in muse
deficiunt, ordine descripto indicent. Ex quo fu
damento commercium litterarium fautoribus ne
incommodum, sibi ipsi nec nimis sumtuosum in
eundum §. 32. optat et quaerit. Multi censebunt,
ne quidem vitam unius hominis satis esse posse, to
dissertationibus colligendis, ne dum perlegendis.
Vtrumque concedit Cl. Auctor; at enim collectio
nem non fieri subito, sed pededentim, nec ad tae
dium protrahendam, attamen cum voluptate conti
nuandam, atque clinicis officiis exantlatis, quasi otio
se suscipiendam esse §. 30. suadet.

De utilitate et praestantia huius operis, quod erroribus typographicis fere caret, et nitide impressum est, imo cuilibet medico, loco repertorii, inseruire potest, dissertationum aestimatores optime iudicabunt, nec reliqui medici conspectum hunc amoenitatum academicarum amplissimum absolute detrectabunt. Ab omnibus philiatris, ut verbis Auctoris utamur, non expectandum optimum de hocce otio iudicium, nec idem imitandi studium omnibus optandum et commendandum. Permaneat potius hocce inter paucos, reliqui idem aequo animo ferant, vel missum faciant.

Reliquum est, ut de huius musei eiusdemque Auctoris fato pauca annectamus. Cum Cl. Auctor multis abhinc annis dissertationes academicas magno labore

bore et sumtu collegisset et collocasset, amicis et huius instituti promotoribus publicas gratias agere, et simul fructus ex dissertationibus hauriendos et amplificandos cum aliis communicare volebat. Hinc museum seu designationem dissertationum, quas tunc ipse possidebat, typis exprimi curabat. Promulgabat igitur ducenta exemplaria huius musei proprio sumtu, et unicuique omnium facultatum medicarum Decano et academiarum Praesidi unum exemplar tradebat. Omnes fautores et amici institutum hoc commendabant, in usum proprium applicabant, atque Auctorem ad ulterius progrediendum multis accessionibus excitabant. Spatio dimidii anni, nimirum ab anni 1756 mense Nouembris usque ad anni 1757 mensem Iunii, non solum museum, sed etiam repertorium, aliquot millibus dissertationum augebatur et supplebatur, adeoque scopum sibi praefixum breui et quidem maxime bellicoso tempore attingebat, atque suscepta eius in posterum votis responsura esse sperabat. At enim vero bellum truculentum atque hominum sanguinem et vitam sitiens tunc etiam aedificia et urbes igne furioso praeter spem et opinionem deuastabat. Tristissimum et luctuosissimum incendium in Saxonia et in terris ad hanc pertinentibus, in primis alma Zittauia Lusatorum d. 23 Iul. 1757 experta est, cum fere tota tormentis bellicis igniuomis funditus destructa fuit. Idem dies etiam Cl. Auctori maxime fatalis et luctuosus fuit. Ille enim praeter domicilium apte et concinne aedificatum et exornatum, non solum Bibliothecam, ter mille volumina in se continentem, omnem thesaurum imaginum aere incisarum, numismatum, praeparatorum anatomicorum, MStorum, omnem apparatum chymico-pharmaoeuticum, sed etiam omnem suppellectilem dissertationum physico-medicarum, igne hoc inopinato et vehementissimo perdidit. Omnibus

bus his ſubſidiis ipſi iucundiſſimis et utiliſſimis de
ſtitutus angore et terrore quaſi vacillans atque c
lamitate ciuium publica perterritus, ſolatio ac be
neuolentia medicorum exterorum maximopere en
gebatur ſubleuabatur et reuiuiſcebat; ita ut non
in ſtudiis excolendis oppreſſus, ſed potius eo ma
gis excitatus videretur. Nam ſpatio duorum anno
rum et dum haec ſcribimus, tam in oeconomicis,
quam in literariis labore et diligentia, Deo adiu
uante, inſignes acceſſiones acquiſiuit. In primis
ſuppellex diſſertationum iterum ad 9000, numerum
recuperata et adaucta fuit. Qua propter omnia ea,
quae in praefatione muſei diſputatorii Vol. I. pro
miſit, diligentiſſime et pro viribus in Volumine II.
praeſtabit, imo ſuperabit, cum non ſolum eas diſ
ſertationes, quas ipſe poſſidebit, ſed etiam omnes,
quotquot in Volumine I. omiſſae, typis autem ex
preſſae et ipſi ex diariis phyſico-medicis et ex lite
ris fautorum cognitae ſunt, ſecundum methodum
deſcriptam in Volumine II. deſignabit. Antequam
vero Volumen II. prelo imprimatur, in epiſtola
quadam inſtitutum ſuum publice declarabit, et
omnes muſei diſputatorii aeſtumatores ad idem
commodius et utilius exſequendum inuitabit.

VI.

Exotic botany illuſtrated in thirty five figures of curious and elegant plants: explaining the ſexual ſyſtem, and tending to give ſome new ligths into the vegetable philoſophy, by IOHN HILL, M. D. London, printed at the expence of the Author. 1759. fol. mai. plag. 10½. figg. 35.

h. e.

Botanica exotica, triginta quinque figuris nitidarum plantarum illuſtrata, explicans ſyſtema ſexuale, nouamque accendens lucem philoſophiae vegetabili. Auctore Cl. IO. HILL, M. D.

Qui, ut alio loco demonſtrauimus * in plantarum omnium ſyſtemate explicando verſatus eſt Cl. HILLIVS, nunc rariora quaedam ſpecimina in unum congeſſit faſciculum atque pro ſuo illuſtrauit genio. Pretioſum omnino opus eſt, ſiue ſtudioſe factas plantarum delineationes, in aes inciſas, ſpectemus, ſiue typorum elegantiam atque chartae conſideremus. Commendabunt etiam ſeſe plantarum ſpecimina, magna ſatis et habitum externum totius vegetabilis ſiſtentia, licet non omnia noua ſint. Inſcribitur totum opus duci Northumbriae, quippe qui non ſolum multo ſolet botanicam doctrinam ſtudio adiuuare, ſed ex diuite rariorum plantarum horto Cl. Auctori plantas communicare, ex quibus haud paucae hic quoque adducuntur. Quum autem de eius, ac noſtrum eſt, generis opere multa referre non poſſimus, praecipua quaedam, ad totius libri naturam ſpectantia, momenta

* In hiſtoria nempe plantarum. vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 118 ſqq.

tantum adducemus. Duo ſunt ſcilicet momenta, introductio nimirum atque deſcriptio plantarum. In introductione de hic propoſitis plantis differitur, maximam partem eſſe Aſiaticas easque ad naturam depictas. Etſi enim exſiccata tradita fuiſſent ſpecimina, ex quibus, quantum intelligi poſſint notae naturales, nemo neſcit, inuenit tamen nouum aliquod artificium Cl. Auctor, aqua calida adſperſa inter duo plana ita reſtituendi faciem naturalem, ut commode apteque potuerint pingi. Putat autem, de culturae ratione non opus eſſe, ut plura addat, quum patria ſingulae plantae eam ſimul innuat et experientiam ea in re ſequi optimum iudicet. Haec tamen obſeruatio eum reddidit ita felicem, ut multas ex ſeminibus plantas propullulantes educare potuerit. Quod porro deſcriptiones plantarum concernit, ita in iis verſatus eſt, ut, prius annotato loco natali, totius plantae cuiusuis expoſitionem exhibeat, partes deinde eiusdem, in primis floris et fructificationis, recenſeat, et ſoli etiam natalis qualitates enumeret, num illa in ſabuloſa nimirum, vel pingui aliaque terra proueniat, quemque creſcendi modum exoptet. Addemus ad finem nouae hic adductae plantae deſcriptionem, ex anglico ſermone in latinum translatam. De eo itaque ambigui adhuc haerebunt Lectores, quare hisce deſcriptionibus vegetabilem etiam philoſophiam dilucidari in titulo libri promittat Cl. Auctor. Sed nullam videmus ſuper hac re explicationem acceſſiſſe: recenſebimus nomina hic deſcriptarum plantarum et adnotationes ſubiiciemus aliquas, ex quibus forſitan, quae mens fuerit Cl. HILLIO, apparebit. Sunt autem ſequentes, ad ſyſtema ſexuale diſpoſitae:

Ex monandriis. 1) Coſtus LINN. Coſtus arabicus authorum. *Scarlet coſtus.*

Ex

Ex diandriis. 2) Nyctanthes foliis inferioribus cordatis, obtusis, superioribus ouatis, acutis. LINN. Iasminum arabicum authorum. *Profuse Nyctanthes.* 3) Nyctanthes flore pleno. *Roseate nyctanthes.*

Ex triandriis. 4) Ixia foliis ensiformibus, floribus remotis, LINN. *Tyger-Ixia.*

Ex tetrandriis. 5) Callicarpa. *Amethystine callicarpa.* Hanc Iohnsoniam vocant hortulani. Sed alibi haec iam picta est, et sub Burcardiae nomine descripta a b. m. HEISTERO in praefatione ad Epistolam BVRCKHARDI, de charactere plantarum naturali, Helmstadii, 1750. 8. edita cum icone.

Ex pentandriis. 6) Azalea floribus subsolitariis, calycibus pilosis LINN. *Ermine Azalea.* 7) *Nosegay Periwinkle;* quae a KAEMPFERO in Amoenitat. exotic. dicitur Tsu tsu. Nomen ipsi dedit Cl. Auctor a modo in fasciculo florendi, sed nec satis euidenter descripta nec denominata planta est. 8) Peloria LINN. de qua vero dubitatur, num planta sit hybrida, expectat enim Noster semina matura, quae, si acceperit, tunc autumat receptam de hybrida planta sententiam euersum iri.

Ex hexandriis. 9) Amaryllis spatha uniflora, corolla inaequali genitalibus declinatis LINN. *Iacobaean Lilly* vulgo, *Iacobaean Amaryllis.* 10) Amaryllis spatha multiflora, corollis inaequalibus, foliis linguaeformibus, LINN. *Delicate Amaryllis* 11) *Double oriflame* est species tulipae flore duplicato; qua occasione monet Cl. Auctor, per culturam flores posse duplicatos reddi, dum scilicet, antequam flos euoluitur, rescinditur Scapus, et radix repetita industria, in pingue reponitur solum. 12) Colchicum flore pleno, *Sanguineous colchicum.* 13) Glorioſa LINN. *Superb Lilly* vulgo.

go. *Imperial Glorioſa.* 14) Narciſſi varianta, *Metamorphoſes of the narciſſi*, ludentis naturae exempla.

Ex enneandriis. 15) Rheum foliis ſubuilloſis, petiolis aequalibus LINN. *Rhabarb.*

Ex decandriis. 16) Poinciana, Criſta pauonis Authorum. *Poinciana.*

Ex icoſandriis. 17) *Snowy Mespilus*, flore diſtinguitur niueo et corollis pendulis. 18) Meſembryanthemum foliis ſubulatis, ſemiteretibus glabris, internodio longioribus LINN. *Suabright Meſembryanthemum.*

Ex polyandriis. 19) Anemone foliis radicalibus ternato decompoſitis, inuolucro folioſo LINN. *Compleat Anemone.* 20) *Heroic Piony.* Eſt Poeoniae varietas prolifera. 21) *Bohea Tea.* Thea LINN. folia huius plantae ſunt breuiora et obſcuriora, flores vero hexapetali. 22) *Green Tea*, cuius folia longiora, viridiora, flores autem enneapetali ſunt.

Ex monadelphiis. 13) Hibiscus foliis ſubpeltatocordatis, ſeptem angularibus ſerratis, hiſpidis LINN. Abelmoſch Authorum, *Fragrant Hibiſcus.* 24) Hibiſcus foliis ouatis, acuminatis, ſerratis, glabris, caule arboreo LINN. *Single China roſe* vulgo. *Crimſon Hibiſcus.* 25) Eiusdem varietas. *Double Crimſon Hibiſcus*, *Double China roſe* vulgo. 26) Hibiſcus foliis cordato quinquangularibus, obſolete ſerratis, caule arboreo. LINN. *Palmated china roſe* vulgo. *Mutable Hibiſcus.* 27) Eiusdem quoque varietas. *Double mutable Hibiſcus. Double palmated china roſe* vulgo.

Ex polyadelphiis. 28) *Blood-ſtain'd Hypericum.* Noua planta eſt, a Cl. LINNAEO nondum recenſita, cui nomen ſpecificum imponi poſſe putat Cl. Auctor ſequens: *Hypericum pentagynum ſtylis inuolutis:*

tis: siquidem in ea styli superius soluti, inferius teneriori quadam membrana inuoluntur.

Ex syngenesiis. 29) Lepia, de qua inferius. 30) Aster caule corymboso, foliis lanceolatis, reflexis, floribus solitariis, calycibus patulis LINN. *Ambrosial Aster.*

Ex gynandriis. 31) Epidendrum caule adscendente tereti subramoso, foliis lanceolatis, petalis linearibus obtusis LINN. *The Scorpion Flower. Transcendant Epidendrum.*

Ex monoeciis. 32) Momordica pomis angulatis tuberculatis, foliis villosis, longitudinaliter palmatis LINN. *Indian Balsam Apple. Golden Momordica.*

Ex dioeciis. 33) Valisneria LINN. Valisneria et Valisnerioides Michelii. *Spiral Valisneria.*

Ex polygamiis. 34) Ficus foliis ouatis integerrimis obtusis, caule inferius radicato. LINN. *Bengal Fig. Crimson Fig.*

Ex cryptogamiis tandem 35) Polypodium frondibus pinnatifidis laeuibus, pinnis oblongis, distantibus, infimis patulis, terminali maxima, LINN. *Golden Polypody. Enormous Polypody.*

Nunc itaque ex omnibus selegimus tab. 29, propositam Lepiam, de qua sic disserit Noster:

LEPIA.

Fortuna sic fauente accidit, ut nouum possim historiae botanicae addere genus: mirabuntur autem, quare non secutus sim consuetudinem recentiorum scriptorum, ipsique nomen imposuerim fautoris aut amici, cuius gratiam inde inirem. Sed, ea in re, veteres sapientiores fuisse arbitror. Nomen illud demum utile censendum est, quod ideam plantae in se continet, quare hanc Lepiam nominaui. Squamae namque calycis praecipuas distinctiones efficiunt, id quod hoc vocabulo significatur. Consuetudini itaque contrarius egi, ut hoc a graeco deducerem: in communi vero plantas denominandi ratione, ubi nomina

mina a viris desumta imponunt, summa est stultitia, ingens adulatio. Vnus quisque nonne ridet, si tulipa audiat vocari regem Prussiae, vel auriculam principem Ferdinandum? Estne minus ridiculum, alias plantas denominare Mitchellam vel Milleriam, vel Catesbaeam aut Collinsoniam? Botanicus enim, qui sui aliis conditionibus memoriam conseruare non potest, nec meretur, eius ut mentio amplius fiat.

Singularis huius plantae habitus meo quidem iudicio optima nota est, magnam, quum prae se ferat, pulchritudinem. Specimen eius cum aliis ex China plantis seminibusque ad me adlatum est, delineationem vero ex planta desumsimus, quae ex seminibus eiusdem in Anglia fuit enata. Producta est opera clari hortulani (Lee of Hammersmith.)

Ad trium fere pedum altitudinem exsurgit: exterior superficies aspera et inelegans. Caulis firmus, folia duriora sunt, flores numerosos amplosque habet, diuque durant. Prior, qui erumpit, flos, ad eam venit perfectionem, quam reliqui non attingunt, remanetque in planta per aliquot septimanas.

Plantae radiatae syngenesiae, ad quas haec pertinet, ab omnibus tamen reliquis differunt. Singulus flos nonnullos continet flosculos tubulosos, vel minores flores in disco, nonnulli plani in summo loco radium efformant. Character tamen classis ex nota leuiori desumitur. Filamenta in singulo flore quinque sunt, et apices coalescunt. In aliis supra florem eminent, in aliis minus conspiciuntur.

In medio horum quinque filamentorum stylus constituitur in summitate bifidus et in medio quoque radiatorum florum stylus unus est, sed nulla filamenta.

Haec autem est floris Lepiae constructio: Calyx longus et durus componitur ex latis atque concauis squamis, quaelibet earum superius intumescit, et coronatur rotundo ficcioris tenuiorisque substantiae margine. Radii flosculi sunt feminini, quilibet surgit ex semine substrato, conti-

continetque in medio ſtylum, ſemen tribus dentibus inſtruitur. Floſculi tubuloſi in conico capitulo, quod ex ſeminibus fit, proueniunt, haec pellucentibus membranis obuoluuntur, et ſingulus duos habet denticulos, in medio cauo, rudimentum ſtyli haeret. Separatim has partes delineari curaui, addidique diſſectum florem, quo conicum pateat receptaculum, ſimulque exhibui imperfecti floris differentiam calicis. Tubuloſus itaque flos ſummo ſemini affixus videtur, deſtitutus ſquamoſa calycis parte.

Nonnulli hanc plantam ad bidentem pertinere autumarunt, arguit vero eorum errorem, calyx ſquamoſus et conicum receptaculum. Diſtincta certe eſt ab omnibus aliis, errorem autem in hac difficili claſſe condonare debemus facilius, ac in alia.

LINNAEVS *huic nomen imponere non potuit, hac enim aeſtate demum in Anglia primum floruit.*

Iudicare itaque poteſt beneuolus Lector, ex hoc ſpecimine, partim de diſſerendi ratione Cl. HILLII, in hisce deſcriptionibus uſurpata, partim etiam de ipſarum plantarum definitionibus. Licet autem in eleganti et ſumtuoſo hoc opere, cuius etiam aliqua exempla, viuis coloribus picta, proſtare accepimus, omnium plantarum adductarum deſcriptiones eodem modo ſeſe non habeant, hanc tamen elegimus, quod et noua ſit, et collatio cum Ill. LINNAEI definitione in uniuerſum non conueniat.

Liceat autem nobis, in gratiam botanicorum, aliquam huius plantae hiſtoriam addere. Ante aliquot iam annos ad nos ab amico ex Gallia, allata ſunt ſemina, ex quibus in noſtris hortis quotannis nouae plantae enatae et disquiſitae fuerunt, nomen datum erat: Bidentis americani ſaponariae folio. Facile docebant momenta plura, ad bidentem eam pertinere non poſſe, ſed nouum eſſe vegetabile, etſi Cl. PHILIPP. MILLER in faſciculo XI. tabularum ad dictionarium hortulanorum pertinentium tab. 64.

64. iam anno huius ſeculi quinquageſimo ſexto Ianuarii viceſimo ſeptimo ſimul cum data figura plantae eam *Bidentem, calyce oblongo ſquamoſo, ſeminibus radii corolla non decidua coronatis*, appellauerit idque nomen a Cl. IVSSIEV datum eſſe, retulerit. Bene errorem huncce diiudicans ex dato forſitan non viſae plantae charactere, Cl. LINNAEVS in Spec. plantar. editione anno 1753. ad Chryſogoni genus eam eſſe ponendam, autumauit. Appellat nimirum p. 920. n. 2. *Chryſogonum foliis ſeſſilibus, amplexicaulibus, calycibus ſeſſilibus ſquamoſis.* Additum autem ex FEVILLAEO ſynonymum minus recte adiunxit. Quum vero definitio Chryſogoni minus eſſet adaequata, hanc etiam denominationem iam factam cum ipſa planta comparare nemo poterat, quare HILLIVS noſter a LINNAEO eam adductam fuiſſe non putabat. Poſt itaque primus, qui recte deſcripſit nouam plantam, ZINNIVS habetur, qui tamen in Catalogo plantarum horti et agri Gottingenſis adiecta icone, anno 1757 eam *Rudbeckiam foliis oppoſitis hirſutis, ouato-acutis, calyce imbricato cylindrico, radii petalis piſtillatis*, dixit, non ausus, nouum imponere nomen, illud licet merenti adſerat. Paulo poſt nouam adeptus disquirendi plantam occaſionem Cl. CONSTANTINVS SCHEPIN, in annotationibus Botanicis, p. 42. quae Diſſertationi inaugurali de acido vegetabili, Lugd. Batauor. 1758 adiunxit, ex ſtudioſe penſitatis notis characteriſticis, pro ea, quam in honorem botanicorum, perpetuam eorum memoriam nobilitandi, ſtabiliuerat lege LINNAEVS, quae vero acutius se videre arbitranti HILLIO diſplicet, *Craſſinam* nuncupauit, in memoriam ſcilicet profeſſoris botanici Petropolitani, STEPHANI CRASCHENINNIKOW. Is autem ibidem accuratam et naturae reſpondentem expoſuerat deſcriptionem. Cuius, num ad Cl. LINNAEVM peruenerit notitia, dubitamus, quod

tandem

tandem in Syſtematis Naturae Editione X Holmiae 1759 nomen in honorem deſcribentis ZINNIAE, p. 1221 in Generibus no. 1161 adiunxerit. En itaque, fallitur, qui ſibi de nouo genere gratulatur, egregie HILLIVS, quum ante eum melius iam deſcripta extet planta, nouo argumento, in vaſto naturae regno neminem, niſi ſtudioſiſſimum, noua diſcernere a cognitis poſſe.

VII.

B. S. ALBINI academicarum annotationum liber quartus. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. Leidae, apud I. et H. Verbeek. Bibliopolas, 1758, 4. pl. 15. tab. aen. 7. *excepta tabula ductus chyliferi.*

Quae de priorum librorum elegantia atque nouitate rerum adduximus, eadem de hoc quoque dici merentur, ſiquidem in illo pariter nitidae partium explicationes atque delineationes occurrunt. Quatuordecim capitibus abſoluitur totum opus, quibus etiam emendationes priorum librorum atque defenſiones quaedam iterum adduntur. Miramur autem, iconem chyliferi ductus ſeparatim editam fuiſſe a Cl. Auctore et impenſas harum rerum amicis auctas, quum et ſimiles forte icones alibi extent, et huius libri caput nonum illius iconis explicatio ſit, ut ea propter nemo illa poſſit delineatione carere, qui hunc ſibi comparauerit libellum. In ipſo vero hoc opere ſequenti ratione ſeſe capita excipiunt.

Caput primum declarat, *quomodo cranium creſcendo accommodet ſe iis, quae continet.* Primo de ſulcis, p. 3 arteriarum itinera in interiori cranii ſuperficie exprimentibus, diſſeritur, de quibus varia auctorum

eſt ſententia, Noſter eas recenſet breuiter, [illegible] tratur autem, non pulſationem nec preſſionem [illegible] efficere ſulcos, ſed creſcentia oſſa arterias [illegible] dare. Arborum exempla idem monſtrant, qu[illegible] quae infixa ſunt, protracta vegetatione videntu[illegible] fixa. In embryonibus ſulci nulli, in adultio[illegible] demum oriuntur, nec non venae, ut ſinus [illegible] matris confirmant, pulſus tamen expertes, pro[illegible] dis ſulcis hinc inde continentur, in paruulis pa[illegible] non deprehendendis. Vlterius veritatem ſuae ſe[illegible] tentiae ſtabilit, quod arteriolae perfecto quand[illegible] que inhaereant circumeunti canaliculo, qui a[illegible] cantibus illis non potuerit efformari, quod e[illegible] eueniant circa duram ſic dictam portionem n[illegible] acuſtici, et circa tenſorem muſculum tymp[illegible] Nec contrarium eſſe videtur, ſulcos arteriar[illegible] cum capite creſcere, quum et illi creſcendo poſſi[illegible] augeri: in ſinubus namque frontalibus nulla pr[illegible] ſio, ſed cum aetate augmentum. Eſt tamen in [illegible] ſis reprimendi aliqua vis, ut ea deficiente foram[illegible] na, etiam maiuſcula, ſenſim deleantur. Deni[illegible] mutua eſt in cranio et cerebro creſcendi ratio, [illegible] apte *inter ſe creſcere pergant, donec adoleuerint, preſſ[illegible] nem temperante natura.*

p. 14. *Caput ſecundum* exponit *de aure humana interna* tantum, quare, poſt aliorum egregios labores, no[illegible] uas dare auris partium icones libuerit Cl. ALBINO. Deſumtae illae ſunt ex infante, in quibus interan[illegible] oſſium perfecta ſunt, neque tam multa ad interiora detegenda debent auferri. In tabulis duabus icones duodecim proponuntur, quarum ſex priores ab [illegible] re externa incipiendo ad interiorem progrediuntur; poſteriores autem ab interioribus ad eam partem, ubi priores deſierunt. Sunt utique illae elegantes, et ad finem addita explicatio eas egregie illuſtrat, ſiquidem, ut alibi conſueuit Cl. Auctor, et lineares alias et cum umbra propoſuerit delineationes, in quibus

quibus commodius ac in aliis ſubtiliores etiam partes diſtinguuntur.

Caput tertium agit *de vaſis deferentibus, veſiculis ſeminalibus, emiſſariis, quibus ad urethram pertinent, oſtiolis in capite gallinaginis.* Reſpexit potiſſimum Cl. Auctor ad vaſorum deferentium cum veſiculis ſeminalibus coniunctionem, quorum illa ante coniunctionem coarctantur, in coniunctione confluunt et communi ad urethram canali terminantur; deferens autem vas anguſtius ibi fit, ut aeque veſiculae pars ſit in communi illo canali ac in vaſe deferente, ut ea propter ex utroque loco per emiſſarium commune ſemen excerni queat. Non eſt tamen horum emiſſariorum, utriusque lateris inter ſe coniunctio, neque cum medio illo quandoque deprehendendo in caruncula ſinu. Additur icon. p. 16.

Caput quartum refert *de muſculo cephalopharyngeo quodam*, qui a baſi cranii ad latus pharyngis enatus, ſub conſtrictore ſuperiore procedens, ad ſtylopharyngaeum inſerebatur, delineatione expreſſus. p. 26.

Caput quintum exponit *de muſculo ſubcrurali*, quem eadem figura ſiſtit addita. Ex medio femore enatus in candas diuergentes abibat ad membranam patellae inſertas, variisque faſciculis conſtans. p. 27.

Caput ſextum nouum adducit muſculum, *extenſorem breuem digitorum manus*, eumque delineatum videmus. Vidit eundem aliquoties Cl. ALBINVS, orientem ex canali, per quem tendines extenſoris communis digitorum ſecedunt, ad principium digiti medii, aut indicis inſertum. p. 28.

Caput ſeptimum illuſtrat *tendinis ortum*, eius nempe fibras, a carne ſeparatas, in humore explicuit, ſimulque telam celluloſam, inde abientem in icone expreſſit p. 29.

Caput octauum diſſerit *de arteriae membranis et vaſis.* Externam membranam acceſſoriam eſſe affirmatur, p. 30.

matur, neruеam, quae in cellulosam abit, [illegible] sequentem musculosam, in plura strata dimissa internam densam et laeuem, glandulas [illegible] Haec alibi iam probata sunt, et olim etiam [illegible] pta a Nostro Cl. LVDWIGIO in diss. de arteri[illegible] tunicis Lips. 1739 edita. Vasa in corde a co[illegible] riis, in aliis locis a vicinis accedunt. Ad [illegible] menta adhibuit Noster arterias in aqua mace[illegible] vel ad leue putredinis principium deductas. [illegible] tunicas ostendit.

p. 38. *Caput nonum* pertinet *ad tabulam vasis chyl[illegible] cum vena azyga, arteriis intercostalibus, aliisq[illegible] cinis partibus.* Quum ipsarum partium delin[illegible] rum breuissimae explicationes in tabula ipsa [illegible] erant dari, nunc profusior sequitur expla[illegible] Prodiit autem tabula in forma folii maiori, a W[illegible] delaar in aes incisa, penes Verbeekios, anno h[illegible] seculi quinquagesimo septimo, in qua simul ad [illegible] prouocatur dilucidationem, ut ea propter ut[illegible] huc illa pertineat. Continentur in ea figurae q[illegible] tuor, quarum prima sedem veram, origine[illegible] insertionem ductus thoracici sistit, obseruata [illegible] pe ubique accuratissime omnium partium pro[illegible] tione. Huius iam alibi factam mentionem ipse [illegible] ALBINVS memorat. Altera ductum chylife[illegible] inflatum et exsiccatum a parte posteriore exhib[illegible] Tertia chyliferum, cui ex glandula lymphatica [illegible] ctus inseritur. Quarta duas radices ductus chyl[illegible] ri inflatas exsiccatasque proponit.

p. 49. *Caput decimum* tractat *de hymene*, qui des[illegible] tur ex maturo foetu, in secundinis adhuc inc[illegible] partim, quatenus apparet ille, dum externae [illegible] tes leuissime a se inuicem separantur, partim, [illegible] do magis remouentur, quam duplicem condi[illegible] nem adiectae figurae illustrant. Vidit etiam in [illegible] uectioribus aetate falcatum siue lunulatum, nec non in alia nubili puella, ita amplum, ut [illegible] eius

eius diducta sic pateret, ut virum potuisset pati, nec corrumpi.

Caput undecimum inscribitur *de osse sacro*, a quo potissimum describuntur duo exempla huius ossis, quae ex sex diuersis partibus, ceu vertebris, constabant, in altero prima vertebra supernumeraria cum sequenti processibus suis transuersis committebatur, imae lumborum similis, in altero vero prima haec vertebra a secundo ab uno latere distabat, ab altero tantum cum processu transuerso coniuncta. In tabula septima haec ossa sacra delineata sistuntur, cum alio immaturi foetus, toto adhuc cartilagineo, non nullis tantum osseis punctis instructo. Hic loci addimus in tabula sexta, cuius nulla est in ipsa tractatione libri mentio, pingi ossa humeri tenelli foetus dissecta, quo interior eorum fabrica pumicea seu cauernosa et nuclei ossei conspiciantur. p. 52.

Caput duodecimum exponit *de vitio, quod vocant labium leporinum*, in recens nato, paulo post demortuo ita comparatum, ut labium superius sub utraque nare finderetur, nec non eodem modo fissa sit ala nasi utraque, gingiua porro superior; deerat palatum omne, ut cauitas in nares aperiretur. p. 57.

Caput decimum tertium adducit locum RVYSCHII, de *inuolucro penis neruoso externo*, quod, etsi negare nolit, unquam a RVYSCHIO assumtum fuisse, credit tamen eum ab exsiccata cute potuisse induci. p. 58.

Caput decimum quartum tandem *ad librum tertium innotationum* pertinet. Defensiones continet contra aduersarios, primo corpus humanum non mere vasculosum esse, deinde valuulam coli sollicita cura posse solui, aliaque in primis contra Cl. HALLERVM monet, quae praeterimus, quum breui- p. 59.

ter indicari nequeant, debeantque inter se, ...
tis utriusque viri verbis, dilucidari.

Index, ut prioribus libris amplus et idoneus ...
iungitur.

VIII.

Lettres ſur la maladie de la Goutte, par M. ... LOVBET, Penſionnaire du Roi, ancien Chirurgien-Major des Regimens de Sentenac de Tourraine etc. à Paris, chez Barois, Hochereau et Duchesne, Libraires. 17... 12. pl. 22.

h. e.

Litterae ſuper arthritide etc. Auctore C. LOVBET.

Litteras haſce ad illuſtrem quendam virum data, ſe non eruditorum cauſa, ſed eorum potius gratiam edidiſſe, ultro profitetur Cl. Auctor, qui arthriticis doloribus vexarentur, quibus, ſe ſuorum malorum auxilia in hoc libello reperturos eſſe, liberalius ſpondet. Ita vero verſatur Auctor noſter in hoc argumento pertractando, ut in Epiſt. I. de arthritide generatim diſſerat, quaeque mala, in diuerſas capitis regiones translata, excitet, eloquatur. Epiſt. II. habentur effectus morbi iſtius, ad pectus ſtomachumque verſus conuerſi. Tertia continet breuem deſcriptionem anatomicam iecinoris, ſplenis renumque, utpote quae viſcera arthritidi obnoxiis ut plurimum mire excruciantur. Quarta agit de extremitatibus corporis, earumque articulis, de congeſtionibus ibidem obtingentibus, de tumoribus, ibi ab arthritide excitari ſolitis, de diuiſione arthritidis in calidam et frigidam, quarum illa vera dici mereatur, altera vero nihil niſi tumores oedema-

edematoſi, ſubinde emphyſematici ſint; tandem ie tempeſtate, qua hic morbus utplurimum ingruere ſoleat. In quinta Cl. Auctor ſuas de cauſis arthritidis opiniones et meditationes profert. Sexta ac ſeptima utilitates tranſpirationis ſanctorianae deaedicant, ubi ſimul de mediis illam adiuuandi, deque ſingulari balneorum uſu agitur. Octaua, diuerſa in diuerſis ſubiectis arthritidis ſymptomata plerumque a temperamentorum ac aetatum varietate dependere, commonſtrat. Nona Cl. LOVBET praeiudicium illud circa morbos haereditarios hanc potiſſimum ob cauſam impugnat, quoniam aegros arthritico malo affectos inuenit, qui omnia contra dirum iſtud malum auxilia ſpreuerint, quia illud a parentibus traditum nullo remedio ſanari poſſe ſibi perſuaſerunt. Decima alium quendam errorem ferme communem circa uſum aquae et vini in malo arthritico oppugnat. Vndecima egregias utilitates, quas arthritici ab uſu lactis, atque mellis accipiant, enarrat. Duodecima regimen arthriticorum quodammodo praeſcribit. Decima tertia emolumenta ab arthriticis ex uſu vegetabilium in victu capienda, recenſet. In decima quarta Cl. Auctor ad praeſeruandos ab arthritide homines ab omnibus uniuerſim exercitium corporis quotidianum moderatumque poſtulat. Decima quinta differentiam inter arthritidem atque rheumatiſmum docet, ac tandem decima ſexta dicta in ſummam quandam colligit, breuiterque repetit. Quam cum nunc ea, qua fieri potuit, breuitate expoſuerimus, noli a nobis expectare, beneuole Lector, ut ex ipſo libello, qui methodo plerorumque Gallorum ſcriptorum, id eſt, ἀμεθόδως, exaratus eſt, ſecundum ordinem paginarum ea, quae nobis notatu viſa ſunt digniora, depromamus. Sufficiat tantummodo id generatim excerpſiſſe, quod Cl. Auctor ipſe diro hoc malo aliquandiu immaniter vexatus,

uberrimam cauſas illius inueſtigandi nactus occ... nem, eius principia, ſpretis aliis doctorum ho... num ſententiis, in victu animali, eiusque, qui h... die obtinuit, abuſu, quaerat, exemplo a cane, a... mali carniuoro ac voraci, ac arthritidi, ſi qu... aliud animal, obnoxio, deſumto. Qua propo... etiam in arthritide percuranda, omni animali vi... repudiato, unum vegetabilem multis argumen... verborumque lenociniis commendat, quippe qu... ſemet ipſum morbo iſto quam miſerrime excruc... tum, omnibus aliis a praeſtantiſſimis auctoribu... commendatis remediis incaſſum adhibitis, ... fuiſſe ſubleuatum penitusque ſanatum, confiteu... Suadet ſimul uſum lactis, mellis, moderatum vi... boni, exercitationes corporis, tum ſuo exempl... tum additis rationibus quibuscunque. Noſtru... non eſt, illas iam examinare. Egregie autem n... bis placet iudicium Cenſoris huius libelli, Cl. GUE... TARD, illi annexum, quod, cum paucis abhi... annis alius quidam de arthritide Scriptor Pari... nus*, alia fere omnia, quae Noſtri ſententiis co... traria ſint, commendarit, aegrorum, adde et pr... dentum medicorum, ſit, optima quaeque eligen...

* Forſan Cl. CHARL. LOVIS LIGER, Traité de la Goutte, à Paris 1753. a nobis Comment. Vol. IV. p. 439. ſeqq. recenſitum, et laudatum indigitat...

IX.

IOANNIS GEORGII ROEDERER, D. Medicinae ſpeciatim anatomicae artis atque obſtetriciae Profeſſoris publici ordin. Societatis ſcientiarum imperialis Petropolitan. Regg. Suecicae ac Goetting. Socii, et lat. Ien. honorarii, Colleg. chirurg. Praeſidis, Principatus Goettingenſis Phyſici, Elementa artis obſtetriciae, in uſum praelectionum academicarum, aucta et emendata. Goettingae apud viduam Abraham Vandenhoeckii. 1759. 8. 1 alph. pl. 1.

Prioris huius libelli editionis ſupra * iam cum laude mentionem iniecimus iureque optimo ſuum ipſi pretium ſtatuimus: non poſſumus tamen quin alteram hanc, quae multis aucta atque utilior magis reddita ab ipſo Cl. Auctore comparuit, editionem commendemus ſummisque encomiis extollamus. Laetamur enim de incremento, quod paucis abhinc annis ars obſtetricia in ſummam rerum publicarum utilitatem cepit, et quod per tantorum virorum induſtriam in dies eſt captura. Multa Cl. ROEDERER ſuis aſſertis addidit, multa, quae obſeruatio et experientia ipſum edocuit, mutauit, multa, quae iniqui cenſores in malam partem rapuerunt, curatius definiuit, et hac ratione multo praeſtantiorem hanc editionem priori reddidit, maximas totius orbis literarii gratias hoc inſtituto initurus. Promittit quoque in addita praefatione, ſe propediem commentariolos, ut vocat, in artem obſtetriciam eſſe prolaturum, quos certo magna cum voluptate expectant omnes, quibus ſcientiarum incrementum curae eſt cordique. Cum vero ſu-

* vid. Commentar. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 644.

pra iam priorum ſeptem capitum ſumma bre
expoſita ſit, in quibus, quae ad artis theoriam
nent, continentur, nos tantum de reliquis ex
dis cogitabimus, quae tractant ea, quae ad
artis uſum proxime ſpectant. Ex theoria pa
quam Cap. V. expoſuit, cognoſci facile ac de
ri poſſe ſymptomata monet, quae partum
p. 73. vel antecedunt vel comitantur. Quae breuib
Cap. VIII. proponit et primum, quae ultimo
obueniunt et partum appropinquantem produ
cenſet. Sunt vero ſequentia: *Mucus albus e geni*
ſtillans, copioſus, craſſus, a copioſori humorum
partes affluxu et ceruicis maiori compreſſione
pendens; *Dolores ad partum*, quos diſtinguit
ratione vehementiae, et ratione directionis in
ſagientes, *veros* et *ſpurios*. Praeſagientes leni
ſunt, parumper durant, cito tranſeunt, hinc
ab illis, quae iam partum ediderunt, negligun
quamuis a primiparis pro veris habeantur. Ori
tur a primis fundi uterini contractionibus, eum
uſum praeſtant, ut ceruix cum orificio ſenſim
ſimque dilatetur ac diducatur, qua deterſione
veri dolores oriuntur; cauendum tamen ne
praeſagientibus doloribus habeas grauidarum
mina, quae a doloribus iſtis diſtinguuntur ſolo
regione abdominali cruciatu, qui in peluim
deſcendit, vel et eo, quod poſt inteſtini recti
cuationem ceſſant. *Orificium uteri* eo magis de
gitur et ſegmentum inferius uteri attenuatur,
magis partus appropinquat, nec tamen ex didu
ſed vere deterſo orificio ſignum erit petendum.
Vrinae ſuppreſſio vel incontinentia ab utero ſubſidente
et veſicam vel in collo vel in fundo comprimente
efficitur. *Tumor ventris ſubſidens*, qui tamen non
praeceps deſcendit, ſed lente ac ſucceſſiue, inter-
dum etiam ab arctiori pelui, ſitu matricis obliquo,
vel mole foetus praegrandi prorſus impeditur.

Mox

Mox vero ante partum accedere solent *veri dolores, seu labores ad partum*, qui a praesagientibus frequentia et vehementia sua distinguuntur et deterso demum orificio oriuntur. *Orificium uteri apertum magis et detersum*, quod labiis suis prorsus euanescentibus aperturam ellipticam sistit, quo simul segmentum uteri inferius ita attenuatur, ut chartae crassitiem non superet, nec tamen in vaginam descendat nisi morbose affectum. *Aquae formatae*, sub quibus intelligimus imam velamentorum partem aqua repletam, et ab uteri contractionibus bullulae sub forma per orificium protrusam. Tensa et expansa tangitur sub ipsis doloribus haec bulla, quae flaccida, dolore remittente, caput infantile subiacens percipi digito permittit. Haec dum eueniunt, sub p. 81.
quouis dolore inuita retinet parturiens spiritum et musculorum abdominalium diaphragmatisque contractione uteri actionem iuuat. Varia hinc symptomata, faciei rubor, pulsus frequentia, vomitus, qui interdum parturienti proficuus, interdum, si aquarum bilis sanguisque niger ac foetens euomatur, lethalis esse solet. Vltimi tandem, *conquassantes* dicti, dolores ruptum a capite foetus prodeunte frenulum comitantur, quos tamen antecedunt *mucus sanguine tinctus*, quem *signa* vocant, cuius sanguineae striae, vel a vasculis uterini orificii disruptis, vel a velamentorum separatione ab uteri parietibus oriri existimat Cl. Auctor, *frons sudore madida; parturientis impatientia; eiulatus acutiori voce emissus; puinipararum tremor.*

Rumpuntur vero membranae et fundunt liquorem amnii incerto tempore, ob variam membranarum crassitiem aliasque accedentes causas, quin imo in perfectissimo partu integrum ouum excluditur. Est tamen aquarum profluxus probe ab urinae effusione distinguendus, quae vel per differentiam liquorum prodeuntium, vel per explorationem commo-

do

de diſcerni poſſunt. Solet vero interdum
liquidi copia, una alteraue ante partum ſep
genitalibus, nullis ſubſequentibus doloribus,
re, ſub nomine *aquarum ſpuriarum*. Quarum
origo vero ſimilius ab ouo ſubuentaneo, vel
velamentorum hydrope, vel rupta ceruicis
de, deducitur, quam ab alantoide rupta, vel
per membranas tranſſudatione cet. Quod
uium ſi euenerit, quies eſt ſeruanda grauid
partus praematurus prouocetur. Mirum
tum etiam iuuatur et facilis redditur part
amnii liquorem effuſum, quo viae lubricantur
vernicem caſeoſam, qua corpuſculum foet
ductum deprehenditur, et oſſiculorum capiti
bilitatem, qua caput, in utero globoſum, in lo
formam vaginae aptiorem compingitur. Ne
gligendae erunt in arte obſtetricia rite exe
variae, quibus abſoluitur partus, periodi, qu
prima ea a Noſtro diſtinguitur, ubi caput m
intra ſuperiorem peluis aperturam preſſum, o
deterſo velut corolla cingitur; altera quando
p. 89. cauitatem replet; tertia ubi in pudendorum
defixum haeret; quarta corpus ſoluit; quint
centam excutit, contractae enim uteri fibrae
dunt a ſecundinis, easque liberas fundus ute
ſcendens foras propellit.

p. 90. Statum uteri poſt partum capite IX exp
Abſoluto partu fibrae uteri ſe contrahunt,
tem eius minuunt, vaſorumque lumina ſenſim
arctant. Cum tamen ſemper aliquid energiae
perdant, nec uterus priſtinam anguſtiam adſu
nec orificium eius prorſus claudi poteſt. Neque
paucis horis abſolnitur uteri contractio, ſed
doque plures ſeptimanas requirit, hinc lochior
rubrorum et demum alborum profluuium eo us
durat, donec penitus clauſa ſint vaſorum orifi
Ex inaequali matricis contractione *dolores poſt*

gruntur, quae a variis relictis peregrinis corporibus in cauo uteri excitantur, et plus interdum puerperae incommodi faceſſant, quam veri dolores, quamuis ut plurimum omni periculo careant. Sanguis nunc ſurſum agitur, et in mammas fertur lacteae ſecretioni dicatus, et ephemeram febrim, lactem, excitat, qua coloſtrum, ante id temporis mammas replens, excernitur et in lac mutatur. Signa quae puerperam a menſtruata diſtinguunt ſub finem huius capitis adfert.

Partus, qui ſemper morbus, ſolet tamen et pro diuerſa parturientis conditione, et pro varia foetus ratione, differre. Iure igitur in facilem, difficilem ſiue laborioſum, atque praeternaturalem diſtinguitur. *Facilis* pauciſſimis doloribus ob leuiora impedimenta facillimo negotio peragitur; *difficilis* lentius procedit et plura grauioraque impedimenta vincenda habet; *praeternaturalis* vero ſola arte perficiendus eſt, cum natura non valeat impedimenta vincere, melius tamen ipſum *artificialem* dici poſſe Noſter autumat. Facilis atque laborioſus, cum ope naturae perficiantur, *naturales* vocari merentur, quamuis et interdum hic arte mirum quantum iuuetur et acceleretur. p. 94. Quae ad perfectiſſimum partum efficiendum requiruntur momenta ſequentibus Noſter recenſet. 1) *Partus debet fieri nono grauiditatis menſe abſoluto.* Vltra hunc terminum raro, ſi unquam, differtur; quicquid etiam ad ſerotinum partum demonſtrandum de deficiente feminis energia, matris variis morbis nutritionem foetus impedientibus cet. adferant multi. Foetus tamen tubarii, lithopaedia aliique extra uterum concepti foetus iure excipiendi. Citius quidem iuſto foetus praematurus excluditur, qui, quamuis pro vitali habendus a ſeptimo menſe ſit, tamen multis de cauſis a maturo ſe diſtinguit, ad quas inter alias refert Cl. Auctor ruborem totius corporis, lanuginem p. 96.

mollem

mollem ſatis ac longam, fontem pulſatilem
gnum, tubercula ſebacea mentum et naſi
obſidentia; ungues teneros, molles ultra digit
p. 100. prominentes; pondus totius foetus quintam
non exaequans, cum maturus foetus ſemper
tam ſuperet, ſex libris vero nunquam minor
hendatur. 2) *Peluis figuram habeat regularem*
mo capite deſcriptam, ne nimia amplitudo
lapſum efficiat, anguſtia nimia tranſitum
praecludat. 3) *Viterus in axi peluis haereat* nec
quitate ſua ab iſta aberret: 4) *Foetus in uteri*
pite deorſum pendente, facie oſſi ſacro obuerſa
debet, 5) *eiusque membra iuſtam proportionem*
6) *Cum capite alia pars corporis non propendeat.*
Placenta foetum mox ſequatur. 8) *Mater integra*
te fruatur; ſic enim nec nimis tenera aetas, nec
mis prouecta ad pariendum apta erit, in
nullum partui a pinguedine efficitur obſtac
nec in macilenta ligamenta coccygis exſiccan
inde immobilitas huius oſſis efficitur; puſilla
tum ut plurimum proportionatum geſtat; gib
vel claudicans, niſi ex rhachitide talis, peluim
conformatam habeat, difficile non parit, qua
lentus partus ob pectoris vitium, quo ſpiritum
nere impeditur, ipſi accidere poſſit; nec imbe
tas naturalis, niſi ex fractis viribus ſit, partum
iorem reddit: morbi vero varii, ſpaſtici potiſſ
ac conuulſiui, pectoris, herniae cet. retard
partum ac difficilem efficiunt, ut et animus
rientis demiſſus. 9) *Dolorum impulſus ad perfectiſſ*
partum ſatis ſit efficax, nec tamen praeceps nimis
rum vis ſemper proficua erit, ſed interdum no
parit. 10) *Genitalia morbo locali non laborent*,
ius cenſus ſunt inter alios, tumores circa orifi
cuiuscunque generis ſunt, orificium olim dilacer
tum atque cicatrice cohaerens, uteri prolapſus, in
flammatio, reliqua: quae tamen ſi rite ſitus fuer

infans

infans ac uterus, quamuis partum retardant, praeternaturalem tamen eum non reddunt. 11) *Foetum vivum et vegetum esse oportet;* quamuis quidem non putet foetum quicquam ad suum exitum adferre Cl. Auctor, cum tamen foetus mortuus aut debilis utero, contrahenti se, non tantam obiiciat resistentiam uti vegetus, lentior semper procedit. 12) *Paucis horis partus absoluatur*, raro ultra sex horas produci partum perfectissimum Noster adfirmat. 13) *Mater et infans, partu peracto, morbo a partu oriundo non laboret.* 14) *Ab obstetrice partus non turbetur* vel praematuris ad nisus edendos hortationibus, aliisque externis iniuriis, vel propinatis medicaminibus cet. Veterum partus distinctio, quae a situ infantis determinabatur, non est admittenda. Solent enim, capite quanquam praeuio, pessimi interdum prouenire partus, cum e contrario agrippinarum partus, quem pessimum dicebant veteres, inter optimos illorum certe, qui arte absoluuntur, nominandus veniat. Neque tamen maxime naturalis atque exoptatissimus, ad DE LA MOTTE sententiam, Nostro videtur ex eo, quoniam orificium uteri non sufficienter aperitur, foetus ob funiculi compressionem nisi cito finiatur partus, in vitae discrimen inducitur, caputque difficili opera extrahi potest. p. 115.

Cap. XI explorationem feminae docet instituendam. Summi usus haecce operatio obstetricanti est, nihilque ipsi moliendum, nisi, ea instituta, de conditionibus uteri ac foetus certus sit. Quaeuis vero, quae utero contingunt mutationes, ex nullis aliis signis, quam solo tactu, cognoscuntur. Est vero digitus explorans pinguedine inunctus ad ductum parietis vaginae posterioris immittendus, leniterque ac suspense in omni cauitate peluis circumducendus, ut quaeuis in vagina obuenientia distingui possint. Vel decumbentes vel genubus incumbentes, p. 117.

vel

vel ſellae inſidentes, vel denique ſtantes explorant[ur] unaquaeque methodus cautelas quasdam requi[rit] quas Cl. Auctor adfert.

p. 122. Ea, quae in ipſo partu peragenda ſunt Cap. XI[II] exponit. Clyſtere purganda eſt, accedentibus pr[ae]mis doloribus, parturiens, ut et munditiei proſpic[i]tur, et flatibus occurratur, et ſcybala duriora ev[a]cuentur. Serius autem exhibita clysmata nullu[m] uſus, quin noxia ob ſtimulum erunt. Lotium ſtatim emittendum vel et cathetere educendum. Pletho-ricis ac aſthmaticis vena ſecanda, partim ad labora vegetiores reddendos, partim ad praecauenda puer-

p. 127. perii mala ſymptomata. Femina ad partum non collocetur prius, quam orificium ultra dimidium peluis diametrum ſit apertum, nec tamen expectan-dum uſque dum caput cauitatem peluis ingreſſum fuerit. Optimus vero ad partum ſitus cenſendus ille, qui contractionem abdominalium muſculorum ac diaphragmatis facilitat et ſpiritum inductum quam longiſſime retineri permittit. Hinc pelvis, lumborum vertebrae ac thorax firmentur, ut nixus rite edi ac dirigi poſſint. Efficitur id, ſi parturiens pedibus terrae firma inſiſtit, manu corpus reſiſtens prehendit, lumbis parieti reſiſtenti innititur, et ge-nua eius ab adſtante firmiter reprimuntur. Hoc in ſitu optime nixus edit, nec tamen partum pro-ficere valet, ſed vel ſedili inſideat, vel in lecti-lo decumbat neceſſe eſt. Lectulum partui deſtina-tum deſcribit, qui nixibus edendis quam maxi-me ſit accommodatus, nullum foetui exituro impe-dimentum obiiciat, in dolorum interuallo parturientis requiei inſeruiat, ad genitalia obtegenda, et munditiem ſeruandam aptus ſit, ſtatim ad ſitum, quem partus praeternaturalis requirit, poſſit ac-commodari, et in lectulum ubi requieſcat mutata, obſtetricanti liberum ſui officii permittat exercitium, omnino iure ſedili cuiuis praeferri meretur.

Deficien-

Deficiente tali lectulo parato, extemporaneus v. p. 135.
HORNII, e quatuor sellis paratus, adhibendus erit, quamuis et suis incommodis laboret. Vel et grabatis commode possumus uti, si modo pedes a seruientibus firmentur. Reiiciuntur a Cl. Auctore gallorum lecti latiores ob varia, quae adducit momenta. Anglorum lateralis situs vel in lectulis consuetis, p. 138.
vel in peculiari, *Couch* ipsis dicto, cum nimium defatigare feminam soleat, minus Nostro probatur. Germanicae feminae sellis ut plurimum insidentes, misere saepius constructis, pariunt. Optima omnium ea est, quam DEVENTER depingit. Minus commoda sunt veterum sedilia, ab HIPPOCRATE, MOSCHIONE, RHODIONE, RVEFFIO descripta, praestant WELSCHII, VOELTERI, WIDENMANNIAE AC SIEGMVNDAE. Optima tamen sella plura incommoda habet, quam lectulus. Nec situs ille Auctori probatur, quo parturiens gremio cuiusdam insidet, non, nisi parturiens valde debilis sit, admittendus. Obstetricans ad parturientem accersitus primum ante dolorem, deinde sub ipso dolore, denique post dolorem exploret feminam, ut situm infantis ac uteri, dolorumque proprietates rite cognoscat, caueat tamen, ne rudi exploratione, vel velamenta rumpat, vel nimiam parturienti molestiam creet. Nihil in partu naturali moliatur, donec caput occipite retro sinum haeret, tunc duplex ipsi incumbit officium: unum, ut vaginam et labia pinguedine inungendo, digitisque indicibus ad perinaeum collocatis illud reprimendo, salua externa genitalia conseruare tentet: alterum ut foetus exitum, motando corpusculum ac ad axin pelvis ducendo, promoueat. Excluso foetui os a muco purgandum et statim funiculus deligandus. Addit Cl. Auctor varias cautelas in hac deligatione ob- p. 148.
seruandas; quam tamen in priori editione praeceperat funiculi versus matrem ligaturam, hic con-

ſulto omiſit. Si forte funis ad ipſum umbilicum fuerit abruptus, cutim abdominis filo conſtringere prohibet, ſed vel linteo carpto atque, hoc non ſufficiente, ſtyptico quodam impoſito vulnus curandum ſuadet. De tempore, quo funiculus ſit ligandus, Auctores in tres ſententias abeunt; alii placentam prius extrahi, quam funiculus ligetur, iubent, alii poſt ligatum demum funem placentam ſoluere praecipiunt, alii miniſtrum eodem tempore, quo obſtetricans placentam remouet, funiculum deligare volunt. Secundam methodum, ob varias quas adfert cauſas, optimam iudicat Noſter. Probe tamen attendendum eſt obſtetricanti, ut impoſita abdomini manu eaque in omni eius ambitu circumducta inquirat, num alter adhuc foetus in utero remanſerit, cuius praeſentiam et funiculi attracti reſiſtentia et dolorum continuatio fallaciſſime indicant. Qui ſi adfuerit, prius de eo, ruptis eius velamentis, removendo, quam de placenta ſoluenda cogitandum eſt. Peractis his puerperae cura eſt ſuſcipienda, ut genitalibus, linteo molli ac calefacto tectis, abdomineque faſcia inuoluto, in lectulum ad requiem capeſſendam locetur, et de eius blanda transſpiratione, per iuſcula tenuia gelatinoſa refectione, clysmatisque ope, ſi neceſſe eſt, purgatione ſollicitus medicus eſſe poſſit.

p. 155. Si deſunt vel unum vel plura eorum, quae ſupra Noſter ad perfectiſſimum partum requirit momentorum, partus ſit difficilis, quem ad ductum modo dictarum regularum in capite XIII. deſcribit, et de iis, quae in eo agenda ſunt, diſputat. Cum tamen quaeuis fere impedimenta partus in peculiaribus capitibus infra paulo eſt tractaturus, ſummam tantum eorum breuiſſimis in hoc capite exponit. Giboſae ſedili inſidentes, claudicantes vero in lectulo partum edant. Herniae reponantur, et manu impoſita ſub doloribus retineantur; varices faſcia compriman-

primantur; pellentibus ad dolores promouendos abſtineatur; morbi locales ante partum, quoad fieri poteſt, ſuis remediis expugnentur, v. c. calculus in veſicae collo detentus vel ſoluatur, vel reprimatur, hymen arctus diſſecatur, vagina concreta turundis ſenſim intumeſcentibus vel ſpongiis praeparatis dilatetur; genitalium inflammationes, temperantibus et emollientibus mitigentur; tumores oedematoſi fotibus tractentur, nec inciſionibus ac ſcarificationibus, quibus gangraena facile inducitur, lacerentur.

Solutio placentae quasnam cautelas requirat p. 163.
Cap. XIV praecipit. Propriae uteri contractiones ſpontaneam ſolutionem placentae efficiunt eamque expellunt; hinc ſi mente ſua uti poteſt operator eam expectandam ſuadet Cl. ROEDERER. Si vero variae cauſae artis auxilium requirant, vel tractione, vel ſi illa non ſufficit, aut ob funem ſanguineum, feminae ad uteri inuerſionem procliuitatem, praeſentemue ſanguinis fluxum inſtitui non poteſt, immiſſa ad ductum funiculi in uterum manu, decorticatione a parietibus uteri, ſeparanda erit. Tentanda haecce etiam erunt, ſi placenta relicta in utero fuerit, et operator ſero demum a partu accerſitur. Si tamen fruſtranea fuerit haec opera, cunctando interdum rem perficere praeſtat, cum et absque periculo diu in utero quandoque lateat placenta. Con- p. 169.
tractus uterus ita nonnunquam abſcondit placentam, ſi in fundo non adhaeſerit, ut eandem penitus ambiat, ac in ſacco recondat, qui digitorum ſucceſſiua immiſſione aperiendus eſt. Praeſtat haec praeſcripta deglubendi placentam methodus ei, quae tractione violenta perficitur ex eo, quod haec inuerſioni matricis faueat, et inaequales uteri contractiones, haemorrhagias, imo inflammationem cet. excitet. Abſtinendum ſemper a medicaminibus irritantibus ac pellentibus, quae non ſu-

perflua tantum, ſed vere noxia Noſter pronun
Nec probari poſſunt aliae excutiendi placentam
thodi, quae vel perforando eam, vel abdomen co
primendo, vel forcipe placentam comprehende
tentantur. Eliminata placenta uteri curam hab
operator, quod fit, ſi denuo immiſſa manu om
peregrina corpora ex cauitate uteri euacuat, n
nuque in pugnum contracta contractiones uteri u
cunque aequales efficere ſtudet. Si vero remane
rint quaedam, quae procedente tempore in pu
dam maſſam abeant, matricis repurgatio iniectio
bus per peculiarem ſiphonem in ipſum cauum, n
tantum in vaginam, uteri propulſis, adiuuandam
cenſet Noſter.

p. 176. Cum tamen in exercenda arte multum omnin
interſit operatoris, ut certus ſit, num viuat, an i
obierit foetus, ſigna, foetus viui et mortui in Cap.
XV. explicat.

Alia vero ſigna ante partum, durante grauidi
tis tempore, vitam foetus produnt, uti motus e
a medio geſtationis termino incipiens quotidiequ
auctus, incrementum uteri ac abdominis ab incr
ſcente foetu auctum, quae utraque, foetu morto
ceſſant. Fallacia ſunt mortui foetus ſigna, a colore
faciei plumbeo, oculorum liuore, cordis palpitatio
p. 179. ne cet. deſumta: frigens tamen abdomen, mam
mae collapſae, lac ſeroſum copioſe e mammis pro
fluens, cum ſuperioribus iuncta, mortem embryonis
confirmant. Foetus putredo varias quoque mole
ſtias feminis creat, quae tamen non niſi lacerat
membranis accidere poteſt, cum iis integris aeris
liberioris acceſſus arceatur.

Alia vero ſigna conquirenda erunt mortui foe
tus ſub ipſo partu, praeternaturali potiſſimum, in
quo laedentibus ferramentis ſoluere foetum cogi
mur. Tumor in capitis parte primum prodeun
te eleuatus viuentem foetum vel certe foetum

ſub

ub partus initium viuentem denotat. Fon-
nellae pulſus deficiens, qui, ſi unquam, certo
ariſſime percipi poteſt, foetus immobilis haerens
n peluis cauitate, meconium profluens vere mor-
uum non declarant, quanquam demortui ſuſpicio-
nem moueant. Funiculus propendens frigidus nec
ulſans, oſſa cranii ob collapſum cerebrum ſtriden-
ia mortuum eſſe embryonem docent. Certiſſime
obitus eius cognoſcitur ex putredine, cuius indicia
ſunt putris liquor ex genitalibus profluens, cuticu-
la leuiſſima contrectatione ſecedens, nauſeoſa ex
pudendis mephitis, et ſi manui via praecluſa in
uterum non eſt, pulſus funiculi prorſus deficiens,
lingua digitique laceſſiti immobiles. Ex variis etiam p. 183.
cognitis, vel in partu, vel ante partum cauſis, ad mor-
tuum foetum concluſio effici poteſt.

Nunc de iis, quae in partu praeternaturali per-
agenda ſunt Cap. XVI. diſputat, ubi ſemper arte
ſola partus perficiendus eſt. Vel enim manu, vel
inſtrumentis ſoluendus foetus erit. Hinc ita eſt
collocanda femina parturiens, ut operator commo-
de ſuas actiones perficere, et femina immota peni-
tus cubare poſſit. Ad quem ſitum aptum dicit le-
ctulum ſupra deſcriptum, paululum mutatum, vel
extemporaneum v. HORNII, vel grabatum Mot-
tianum, Meſnardianum, Schlichtianum, reiectis
omnibus ſedilium generibus, ut prorſus huic
ſcopo contrariis. Quae modeſtiae ſeruandae, ope- p. 187.
ratorisque commodis inſeruiunt, exponit Cl. Auctor,
ſimulque monet eum, prognoſi ancipiti famae ſuae
conſulere debere. Ipſe uteri habitus variaque alia
ſymptomata, num feſtinandum cunctandumue ſit de-
clarant. In ipſa operatione vero quacunque obſer-
uet ſequentia. Sub operatione parturiens nullo,
nec corporis, nec nixuum motu agitetur. Manus
immittenda in dorſo pinguedine inungatur, palma
vero ſicca maneat. Vagina pinguedine emolliatur.

Vrina ſubducatur. Manus in uterum demittatur cuneum contractis digitis formata, repetitaque tatione. Operatio ſub dolorum remiſſione, laxo ro, perficiatur, et inſtrumenta, oleo lubrica, cal modice. Quatuor vero modis excuti poteſt in quem uterus protrudere nequit: 1) vel pedibus trahendus eſt foetus, 2) vel inſtrumentis cap praeuium ſoluendum, 3) vel defixus in utero fo tus diſſecandus, 4) vel abdomine et utero inci protrahendus. Debilis ab operatione foetus refi endus eſt, hinc perſciſſo fune nec illico ligato v naeſectionis quaſi ſpeciem inſtitui Noſter iube tunc, muco ex ore eliminato, vino calido extern vel balnei vel linteorum ope applicato immerge dum foetum, vel varia ratione irritandum, vel exhi bito oxymelle ſquillitico vomitu purgandum co ſuadet. Si quoque interdum euenerit, ut caput contuſione laeſum, vel pedes ex faſciae compreſſion liuidi appareant, vel et membra quaedam fracta fue rint, velentur haec linteis vino calido vulnerariis madidis. Luxationes vero, quae ſaepius efficiun tur ob laxiora ligamenta, et caua minus profunda, protinus ſunt reponendae, ne partes coaleſcant.

p. 197. Cap. XVII continet partum difficilem et praeternaturalem propter caput praeuium. In varias ſectiones diuiſum deprehendimus ab Auctore, ob ipſam huius phaenomeni diuerſam rationem. Sect. I. agitur de partu difficili et praeternaturali ob capitis molem. Poteſt vero nimia eſſe capitis in partu moles: 1) ſi peluis bene quidem conformata ſit, reliquo vero corpori non proportionata, 2) ſi peluis coniugatae peccent, 3) ſi caput in nimiam molem excreuerit, 4) ſi nimis arcta ſint et anguſta genitalia externa, 5) ſi capitis et peluis vel genitalium vitia coniuncta adſint, 6) ſi aliis vitiis dicta ſuperueniant. Facilis videtur ab initio hicce partus et ruptis demum velamentis ſiniſtra auſpicia

compa-

comparent. In tres gradus paragomphoſin diſtinguit Noſter, ex temporis interuallo in partu transacto, ex citiori lentioriue capitis deſcenſu et compreſſione, eiusque mora ad aperturam peluis vel ſuperiorem vel inferiorem, et ex dolorum vigore cet. diſcrimen determinans. Modica omnia in primo gradu ſunt et vel ſoli naturae totum negotium relinquendum, vel iſta quodammodo arte iuuanda erit, nec tamen ad forcipum aliorumue inſtrumentorum uſum confugiendum, quamquam illud a variis Cl. artis obſtetriciae magiſtris iniunctum ſit; hinc etiam ſexcentas operationes in aliquot annorum decurſu felici ſucceſſu forcipibus abſolutas eſſe, facile perſpici poſſe, affirmat, quia in facili hoc gradu applicatae fuerint. Alter vero gradus natura nunquam, niſi funeſto omine, perfici poterit, hinc male res noſtras gereremus ſi otioſi manere velimus; hinc de forcipe cogitandum erit, ſi ſcilicet ex variis ſignis cognoſcimus ulteriorem capitis compreſſionem eſſe adhuc poſſibilem, quae ſi denegatur, noxia erit forcipis applicatio. Praeſtat in ultimo hoc caſu praeſertim ſi de mortuo foetu certus ſit operator, extenuare caput perforatorio, ſi vero de vita foetus dubius ſit, operatio caeſarea tutiſſimum, ſi ob circumſtantias fieri poteſt, erit remedium. Tertius gradus in quo vel ſuperior apertura peluis vel inferior peccat, quod utplurimum a compreſſis deformibusque peluibus oritur, de omni forcipis ſucceſſu Cl. Auctor dubitat, hinc vel abdomen incidendum vel caput foetus perfodiendum erit. Omnium medicamentorum pellentium, emollientium, topicorum uſus ſuperfluus et noxius erit. Non tamen omnium forcipum eadem eſt utilitas idemque valor. Minus aptae ob iuncturam, rectitudinemque brachiorum ſunt RVEFFII, PVISSEAV, FRIEDII, BVRTON. Curuaturae, anſae et iunctura, quamuis ſeparatim immitti poſſint brachia,

p. 203.

p. 209.

vario modo peccant in iis PALFYN, GILLES, LE DRAN, PETIT, GREGOIRE, SOVMAIN, DVSSE', MESNARDI, BINGII, ROONHVYSII. Praeſtant correctis factis feneſtris et curuatura ad foetus caput magis accomodata, a CHAMBERLINO, CHAPMANNO, GIFFARDO, FRECKESIO, GREGORIO filio, et LEVRETO, quarum iuncturas ulterius perfecit SMELLIVS, margines vero cochlearium feneſtratorum ingenioſe curuauit, peluique aptiores reddidit LEVRETVS, unde forſan PVGHII ortum eſſe cenſet. In caſu, ubi caput in peluis capacitate haeret, optimi uſus erit breuior ſeu minor SMELLII, quae tamen ob nimiam breuitatem non ſufficiet in eo caſu, ubi in ſuperiori apertura retinetur,
p. 213. hinc LEVRETI magna hic adhibenda erit. Quae in ipſa ferramenti huius applicatione obſeruanda ſunt, multis Noſter adfert.

Si vero comprimi nullo modo poſſit caput defixum, inſtrumento perforatorio utendum erit, quod iam a MOSCHIONE fuit adhibitum.

Inſeruiunt vero perforando capiti *Forfices*, vel vulgaris, vel melius *Bingiana*, *Smelliana*, *Wallbaumiana* curua; *ſcalpellum* theca tectum; *perforatoria* MAVRICELLI et MESNARDI, quae tamen genitalibus infeſta eſſe poſſunt, et *Simpſonianum*; *terebrae occultae*, *Denyſiana*, *Ouldiana*, *Fridiana*; vel et ſolis digitis, ſi putris fuerit foetus, fontanella perforari poteſt. Impediendum eſt, ne, officulis cranii ad ſe inuicem accedentibus, facta apertura rurſus collabatur, et via effluenti cerebro praecludatur. Imprimenda hinc digito ſuadet Auctor officula haec, ut late hiet foramen. Suadent alii forcipes ad valida oſſa diffringenda, ut HIPPOCRATES, ALBVCASIS, SCHVRERVS, MESNARDVS, MITTELHAVSERVS. Serram huic ſcopo accommodatam adhibet FRIDIVS, forficem ſuam WALLBAVMIVS. Si perforato cranio, uteri contractiones caput non propel-

propellunt, cochleari cerebrum eximendum, caputque vel manibus vel forcipe quadam prehenſum extrahendum, quod et unco ſimplici in foramen occipitis magnum vel in orbitas defixo, vel duplici *Mesnardiano* aut *Smelliano* correcto effici poterit. Commendantur et ad hunc uſum, quamuis perperam, *Capititraha* MAVRICELLI ingenioſe excogitata, item *Burdoniana*, et *faſciae*. *Vnci* ſoli vel ob vulneris, quod infligunt, anguſtiam, vel ob metuendam laeſionem partium, penitus reiiciendi. Quam igitur in prima editione omiſerat, ſuis rationibus commotus, inſtrumentorum applicationem, fuſius hic tradidit, et docte ac ſolide de eorum vero ac genuino uſu diſputauit, ne iniqui cenſores ipſum ulterius reprehendere poſſint. Reliqua capita, ne iuſto ſimus longiores in recenſendo, adducere fuſius non poſſumus. Hinc ſummam tantum modo eorum tradamus, Lectoribus pro certo affirmantes, omnia ea, quae in iis tradidit Cl. ROEDERER, ſummi uſus ac ſummi ingenii eſſe. Sect. II partus difficilis, ob ſitum uteri obliquum, multis explicatur, nitideque afferuntur, quae in tanto malo ſint praeſtanda operatori. Sectio III exhibet difficilem partum, ob iniquum capitis ſi- p. 255.
tum, quo facies vel verſus oſſa pubis dirigitur, vel prima offertur, vel alterutrum os iſchiorum reſpicit. Sectio IV continet difficilem partum propter p. 260.
impedimentum quoddam in corpore foetus praeſens. Huc funiculus quandoque umbilicalis circa collum foetus contortus, vel nimia funiculi breuitas, vel nimis lati humeri, vel brachia dorſo decuſſatim incumbentia, vel abdomen foetus aere vel liquore tumidum, vel membra foetus ſuperflua et duplex foetus referenda ſunt. Sect. V partum difficilem ob uteri vel vaginae vitium explicat. Conſtrictus uteri vel vaginae ſphincter retardat partum, et uteri vel vaginae prolapſus, vel iſtius inuerſio

uerſio nocent. Sect. VI. Auulſum ab reſtante c
pore caput ſiſtit.

Cap. XVIII. Partus difficilis et praeternatu
lis ob aliam corporis partem, praeter caput, pr
uiam, deſcribitur. Sect. I. agripparum partu
Sect. II genua ad os uteri conuerſa; Sect. III clu
praeuias; Sect. IV foetum in transuerſum iacente
explicant. Poteſt vero transuerſus foetus offer
collum, humeros et ſcapulam, brachium, pect
abdomen et hypochondria, dorſum, ilia. Sect. V
definit, quomodo caput intra matricem relict
p. 307. ſit excutiendum. Ad hoc praeſtandum interdu
manus ſola ſufficit, ſi pollex faciei imponitur, m
dius et index per os ad occipitis foramen magnum
immittitur, et ſic agitando caput ſoluitur. Si ver
ob diſruptum fulcimentum praeſtari hoc non poteſt,
vel *forceps longa et curua* vel *tribrachialis* LEVRET
uſus erunt maximi. Interdum et iuuabit, ſi nimi
magna moles capitis fuerit, perforare illud et eli-
minato cerebro in minorem molem comprimere.
Vncini uſus hic commendari nequit, cum defixio
eius in caput non firma eſſe poſſit. Capititrahae
MAVRICELLI ac BVRTONI, quamuis aptiores ad
extrahendum caput relictum quam totum corpu-
ſculum videantur, fallere tamen poſſunt: *miarſupia*
GREGORII et AMANDI ingenioſe quidem inuenta,
applicationis tamen difficillimae deprehenduntur;
Fundae MAVRICELLI, WALDGRAVII, DIONISII
van der STERREN, ROONHVYSII, CHAPMAN-
NI, PLEVIERII, RATHLOVVII eadem labe labo-
rant. *Faſciae* SMELLII et BVRTONI elaſtico ſtilo
munitae, faciliores licet deferantur, vix tamen ad
caput volubile firmari poterunt.

p. 314. Cap. XIX. Partus difficilis et praeternaturalis
propter funem umbilici excidentem,

Cap. XX propter ſanguinis fluxum,

Cap.

Cap. XXI propter parturientis conuulsiones, explicatur.

Cap. XXII de gemellorum partu,

Cap. XXIII de abortu,

Cap. XXIV. Sect. I. de mola, Sect. II. de conceptu spurio Cl. Auctor disputat.

Insolitas conceptionis partusque vias et sequelas recenset Cap. XXV. in Sect. I. Foetum extra uterum haerentem Sect. II. Foetum solita via utero non excluſum tradit.

Dissectio foetus in utero Cap. XXVI et ultimo demum partus caesareus exponitur.

Accedit locupletissimus index, Cl. MÜLLERI, Prosectoris Goettingensis studio elaboratus, quo utilissimus hic et nunquam satis commendandus libellus, utilior adhuc quodammodo factus fuit.

X.

PHIL. CONR. FABRICII, M. D. Ser. Duc. Brunsw. et Lüneb. Consil. Aul. Medic. Prof. etc. Enumeratio methodica plantarum horti medici Helmstadiensis; subiuncta stirpium rariorum vel nondum satis extricatarum descriptione. Helmstadii, litteris Ioh. Drimbornii. 1759. 8. pl. 15. cum dimidia.

Qui munere et praecipue in adornando excolendoque medico horto Ill. HEISTERO succeſſit Cl. Auctor, etiam Clar. illius Viri vestigia in hac elaboranda ac euulganda enumeratione plantarum pressit et secundum systema plantarum generale ab Eodem iam an. 1748 euulgatum diuitias Helmstadiensis horti disposuit atque exornauit; et licet ab HEISTERO nouiter condita atque assumpta genera, vel ab eodem mutata nomina non ubique assumserit,

rit, tamen ex hoc ipso libello plenius tandem cognoscimus et uno quasi intuitu videre possumus eas omnes mutationes, quas pro suis et sibi sanctis regulis botanicis in re herbaria, non optimo semper consilio, fecerit HEISTERVS. De methodo ipsa nihil dicemus; cum eadem iam satis cognita sit; monemus modo Cl. Auctorem, qui ex *Flora Butisbacensi* dudum inter botanicos veriores locum obtinuit, plantas in horto Helmstadiensi cultas, florentes, rariores praecipue, quoad florem et fructum sollicite examinasse, et cum descriptionibus ac iconibus aliorum comparando, in ordinem HEISTERI redigisse, eaque de causa euulgasse, ut loco hodegetae accessorii in demonstrationibus plantarum publicis inseruiret. Non vero ad systema HEISTERI solum modo respexit, sed et LINNAEI methodum cum eodem combinauit, et varias ad eandem emendandam illustrandamque obseruationes proposuit. Nullam, ut ipse dicit, plantam recensuit, quae vel in horto non prostaret, vel in agro vicino non cresceret, paucissimis exceptis, quas methodi causa nominare coactus quasi fuerit; has tamen ubique indicauit, uti et officinales plantas singulariter notauit; ut plurimum etiam synonyma quaedam adposuit, in quibus vero dubium ipsi superfuit, sola nomina Heisteriana, vel illa, sub quibus quondam missae fuerunt, adhibuit; quasdam etiam, quae nondum floruerunt, superesse monuit, quarum characterem cum determinare nunc non potuerit alia occasione in mantissa describere et recensere allaborabit.

Quo vero accuratius innotescat Cl. Auctoris in re herbaria cognitio, non nullas ex descriptis his plantis seorsim nominare, et obseruationes quasdam speciminis loco adducere, operae pretium esse
p. 8. putauimus. Inter *Aloes* species unam adduxit sensitiuam dictam, quae scilicet attactu manuum la-

bem

hem breui contrahit. *Spreckeliae* nouam deſcripſit p. 9.
ſpeciem, cuius ſpatha biflora, petala ſex rubra
ſtriata, tribus exterioribus aequalibus maioribus,
interioribus minoribus, non ſatis aequalibus, ſta-
mina initio mire tortuoſa, folia poſt florem erum-
pentia, plana, ſtriis luteis longitudinalibus notata.
In *Commelina annua* ſaponariae folio calicem triphyl- p. 11.
lum album, corollam dipetalam, ſtamina duo an-
therifera, et nectaria quatuor cruciformia inuenit.
Ruſco myrtifolio calicem vel corollam viridem, ere- p. 20.
cto patentem foliolis tribus exterioribus maioribus,
totidemque interioribus anguſtioribus, nectarium
purpuraceum ouatum inflatum, ore dehiſcens, an-
theras tres nectario inſidentes, et intra nectarium
ouarium oblongum, ſtylo ſimplici ornatum, hinc
florem hermaphroditum non dioecum tribuit. *Li-*
moniaſtrum calicem gerit cylindraceum, quinque p. 25.
cuſpidatum, corollam monopetalam ſtriatam, in-
ferne tubuloſam, quinquefidam, ſtamina corollae
intus adnata, ſtylum tenuem, in ſummitate in ali-
quot filamenta diſſectum. *Camphoratae afric. umbella-* p. 26.
tae calix eſt incuruus, in quinque inaequales laci-
nias diſſectus, corolla in quatuor lacinias reflexas
diuiſa, quarum una latior in duas minores ſubdiui-
ſa, ſtamina quatuor duobus breuioribus, ſtylus
ſimplex. In *Collinſonia* non ſolum laciniam corol- p. 27.
lae maximam in capillares fibras diuiſam, verum et
unam alteramque ex minoribus laciniis denuo in
alias minores ſubdiuiſam vidit, et in deſcriptione
data nullam glandulam commemorauit. *Phlomidi*
ſimilis incana candida planta, *Nauicularíae* nomine p. 48.
inſignita, ad verticillos florum duo gerit rotunda
acuminata folia, ſpeciem nauiculae praebentia, ca-
licem monophyllum quinquefidum, corollae ga-
leam bifidam, barbam trifidam, lacinia media non-
nunquam ſubdiuiſa, ſtylus tubam refert, ex mem-
brana conuolutam cylindraceam, ſuperne lacinia-
tam.

p. 70. tam. *Cichorei ſpinoſi* calix cylindricus ex quinq[ue] modo ſquamis conſtat, cui aliae octo inaequale[s] minores incumbunt, et flos ex quinque modo flo[s]
p. 73. ſculis componitur. *Othonnae* ſingularis ſpecies *fruteſcens floribus coeruleis, ſemper virens et floren[s]* folia habet oblongo rotunda, denticulata, utrinque aſpera, flores ſolitarios, ſemifloſculos coeruleos, vix denticulatos, piſtillatos, diſci autem lu-
p. 83. teos. *Calendula afric. bellidis folio ſucculento* ut nouam ſpeciem deſcripſit, quae magnam ad altitudinem ſcandit, ramoſa, et pedunculum calicemque aſperum hirſutum, ſemifloſculos extus violaceos, intus candidos, tridentatos, ſtylum in his bifidum oſtendit, qui vero in tubulòſis in ſummitate tuberculoſus eſt, ſemina horum utrinque alata, illorum
p. 90. anguloſa, non nihil incurua. *Gomphrenae* charactere rem paulo aliter deſcripſit: Perianthium ſcilicet duplex, exterius duobus maioribus nauiculatis alatis foliis, interius quinque anguſtis foliis conſtans, corolla monopetala limbo decemfida inſignita. *Car-*
p. 91. *lina acaulos* ſole radiante et aere ſicco aperta, aqua
p. 113. affuſa ſe ſtatim contrahit. In *Chelone-flore albo* calicem ex octo foliolis latis acuminatis, ſquamatim ſibi incumbentibus conſtare, corollae labium inferius in tres breues lacinias ſectum, lacinia qualibet iterum bifida, ſtamina quatuor ductu ſerpentino curuata, quatuor antheris magnis inter ſe coalitis donata, quinto breuiori foliaceo, anthera deſtituto; in ſpecie vero *flore purpureo* labium inferius corollae profundius trifidum eſſe, nec ſubdiuiſum ob-
p. 123. ſeruauit Cl. Auctor. *Andrachne procumbens herbacea* in florum charactere cum deſcriptione LINNAEI conuenit, in ſpecie vero *erecta arborea* perianthium in utroque flore nullum adeſt, corolla monopetala quinquefida, ſtyli tres tuberculati, ouarium circulo exiguo membranaceo cinctum, et fructus ex quinque vel pluribus ſeminibus, baſi communi

nuni affixis constans. In *Iatropha fol. palmatis den-* p. 129.
atis aculeatis LINN. flores unius eiusdemque um-
bellae omnes hermaphroditos inuenit, in aliis vero
corymbis similes flores, sed staminibus destitutos,
ouario insigniori praeditos, cuius stylus simplex
trifidus erat quolibet filamento in sex alia subdiuiso
femineis his floribus pauci quoque hermaphroditi
sunt intermixti. *Cereum* non icosandram, sed po- p. 189.
lyandram plantam esse, bene Cl. Auctor monuit, in
Surinamensi calicis lacinias 24, corollae segmenta
28, stamina 773 et stigmata 15 numerauit. In
Aralia caule aculeato baccam trigonam trilocularem, p. 191.
in *Canadensi* quinquelocularem obseruauit. Noua
planta, quam nomine *Berberis* capensis semper vi- p. 192.
rentis adduxit, spinas gerit magnas albas, folia
buxo similia, flores racemosos, calicem minimum,
corollam hexapetalam albam, fructumque globo-
sum glabrum durum trilocularem, quo charactere
ad Celostrum LINN. proxime accedit. *Aphanes* p. 197.
LINN. quia stylum ex basi ouarii aeque ac Alchi-
millae species emittit, et saepe unicum semen pro-
fert, non peculiare genus constituere, bene mo-
nuit. In *Achyranthe* calicem foliolis nonnullis cir- p. 198.
cumdatum, nullam vero corollam descripsit. *Bor-*
boniae PLVM. calicem paruum, persistentem, pen- p. 212.
taphyllum, corollam pentapetalam, stamina quin-
que, ouarium globosum, stylum breuem, in sum-
mitate tuberculosum tribuit, et cum nulla corpu-
scula, filamentis annexa descripserit, omnino a
Lauro asset distinguenda. *Tinum flore pleno* adduxit p. 216.
quidem Cl. Auctor, ast non Tinum esse, calicem
in nouem vel decem lacinias diuisum, petala de-
cem et plura, stamina duodecim et plura, stylum-
que breuem crassum, superne tuberculosum, quin-
que striis in summitate distinctum gerere, et forte
Calmiae speciem esse affirmauit. Nos forte *Clusiae*
speciem esse coniicimus, eiusmodi enim fruticem,

numero

numero partium variantem colimus, quo cum
p. 222. ſcriptio data proxime conuenit. *Toxicodendron*
liis pinnatis integerrimis certo tempore copioſum
morem gummoſum fundit, et in hac ac *tripl*
ſpecie non flores dioecios, ſed ſemper hermaphr
p. 232. ditos vidit. Ita *Ceratonia* quoque, ut ipſi ſaepe
ſeruauimus, non dioecia eſt, ſed flores omnes pe
p. 233. fecti. Ad definitionem *Galeniae* LINN. mon
ouarium quidem piloſum ſed ſtylis deſtitutum
obſeruaſſe, ideoque planta monandra monogy
erit. *Lentiſcum* flores maſculinos et femininos
eadem planta gerere, hinc monoeciam eſſe ſcripſ
p. 236. In *Cupreſſo meta in faſtigium conuoluta* utriusq
ſexus flores vidit, maſculis ſerius apparentibus
pollinem copioſum ſpargentibus; huius autem em
bryones ad perfectionem non peruenerunt, cum
e contrario *Cupreſſus ramos extra ſe ſpargens*, licet
in eodem flores femininos modo huc uſque obſer
uare potuerit Auctor, hi tamen fructus perfectos
protulerunt a maſculo polline prioris ſpeciei forſan
foecundati.

Cl. HEISTERI nomina generica, cum ex ipſi
Eiusdem ſcriptis non omnia intelligi et ſuis propriis
plantis imponi poſſint, ex Cl. FABRICII libello
adducere, non inutile eſſe iudicauimus; En itaque
ſequentem Catalogum.

Hyacinthoides	p. 2.	Hyacinthus.
Tuberoſa	—	Polyanthes *Linn.*
Narciſſulus	p. 4.	Narciſſi ſpecies.
Brunſvigia	—	Amaryllis.
Aloaſtrum	p. 5.	Aloe americ. muricata.
Spreckelia	p. 9.	Amaryllis corolla irregulari.
Stellaſter	p. 13.	Hyacinthus ſtellaris bifol. *C. B.*
Niuaria	p. 15.	Leucoium *Linn.*
Iriaſtrum	p. 17.	Iris bulboſa.
Calceolaria	p. 19.	Calceolus *Tourn.*

Valenti-

Valentinia	p. 19.	Vnifolium *Dod.*
Salomonia	p. 20.	Polygonatum *Tourn.*
Limoniaſtrum	p. 25.	Limonium afric. fruteſc.
Sphaerocarpus	p. 28.	Rapiſtrum fol. auricul. *Tourn.*
Chemnizia	—	Lagoecia *Linn.*
Dillenia	p. 31.	Sherardia *Dill.*
Cicutaſtrum	p. 34.	Cicutaria latifol. foetida *C. B.*
Caucaloides	p. 36.	Caucalis ſeminibus tuberculatis.
Myrrhoides	p. 37.	Myrrhis nodoſa annua *Morif.*
Chaerophyllaſtrum	—	Odorata *Riv.*
Cicutaria	p. 40.	Conium *Linn.*
Wepferia	—	Ethuſa *Linn.*
Vmbilicaria	p. 42.	Omphalodes *Tourn.*
Horſtia	p. 46.	Saluia ſpica pendula.
Sclareaſtrum	—	Sclarea arboreſc. calice campanulato *H. Walth.*
Schraderia	p. 47.	Gallitrichum *Riv.*
Iungia	—	Sclarea maxima facie heliotropii *Dill.*
Glutinaria	p. 48.	Horminum glutinoſum *C. B.*
Nauicularia	—	Phlomidi fruticoſae ſimilis.
Cannabinaſtrum	p. 49.	Galeopſidis ſpecies.
Lamiaſtrum	p. 51.	Galeobdolon *Dill.*
Polymorpha	p. 53.	Meliſſa bugulae fol. *Dill.*
Volcameria	p. 55.	Dracocephalum fol. compoſitis *Linn.*
Hederula	p. 56.	Hedera terreſtris off.
Mappia	p. 58.	Marrubiaſtrum *Tourn.*
Zwingeria	p. 59.	Ziziphora *Linn.*
Hofmannia	p. 61.	Dictamnus montis Sipyli.
Plantaginaſtrum	—	Aliſma *Riv.*
Sagittaria	—	Sagitta *Linn.*
Pentouia	p. 64.	Comarum *Linn.*
Fragariaſtrum	—	Fragaria ſterilis *Rai.*
Helleboraſter	p. 66.	Adonis perennis.
Hieraciaſtrum	p. 68.	Helminthoteca *Vaill.*

Virga argentea	p. 71.	Aſter Linariae fol.
Heleniaſtrum	p. 78.	Helenia fol. decurrentib. *Linn.*
Calendulaſtrum	p. 82.	Calendula afric.
Draconia	p. 89.	Draco herba *Dod.*
Acanthium	p. 91.	Onopordon *Linn.*
Moſcharia	p. 95.	Cyanus odoratus.
Lychnoides	p. 104.	Lychnidis ſpecies.
Cucullaria	p. 105.	Lychnidis ſpecies.
Galiaſtrum	p. 108.	Mollugo *Linn.*
Veronicella	p. 111.	Veronicae ſpecies
Veronicaſtrum	—	Veronicae ſpecies.
Conuoluulaſtrum	p. 120	Conuoluulus erectus.
Specularia	p. 121.	Speculum veneris *Rai.*
Ericoides	p. 131.	Tetralix *Rupp.*
Ficula	p. 134.	Ficoides *Tourn.*
Stiſſeria	p. 137.	Stapelia *Linn.*
Apocynaſtrum	p. 139.	Apocynum *Linn.*
Ranunculaſtrum	p. 148.	Trollius *Rupp.*
Althaeaſtrum	p. 149.	Althaeae ſpecies.
Malueola	p. 152.	Maluinda *Dill.*
Münchhuſia	p. 154.	Ketmia americana.
Peſpicillum	p. 58.	Biſcutella *Linn.*
Lochneria	p. 160.	Heſperis ſiliqua longiſſima.
Conringia	—	Braſſica ſiliqua quadrangulari.
Gakenia	p. 161.	Heſperis ſiliqua tricuſpidi.
Schelhammeria	—	Heſperis ſiliqua Cornu Cerui.
Lathyroides	p. 164.	Clymenum *Tourn.*
Bituminaria	p. 165.	Trifolium bituminoſum.
Ornithopodioides	p. 167	Ornithopodium portulacae fol
Meibomia	p. 168.	Hedyſarum triphyllum.
Acrifolium	p. 181.	Aquifolium *Tourn.*
Pentagonia	p 84.	Alkekengi flore violaceo.
Echinocactus	p. 188.	Melocactus *Cluſ.*
Burcardia	p. 190.	
Ouaria	p. 193.	Melongena *Tourn.*

Lycomela	p. 194.	Lycoperſicon *Tourn.*
Solanaſtrum	— —	Solanum ſpinoſ. fl. borraginis.
Bryoniaſtrum	p. 195.	Sicyos *Linn.*
Scauthia	p. 198.	Scleranthus *Linn.*
Spittacaria	— —	Amaranthus tricolor.
Teslingia	p. 201.	Aizoon *Linn.*
Mercuriaſtrum	p. 202.	Acalypha *Linn.*
Blitoides	p. 203.	Blitum *C. B.*
Vrticaſtrum	p. 204.	Vrtica non urens.
Echinaria	p. 206.	Cenchrus *Linn.*
Perlaria	— —	Aegilops *Dod.*
Flauia	— —	Anthoxanthum *Linn.*
Muenaria	— —	Bromus *Linn.*
Miliaſtrum	— —	Gramen miliaceum.
Paniculatia	p. 207.	Poa *Linn.*
Tremularia	— —	Briza *Linn.*
Feſtucaria	— —	Feſtuca *Linn.*
Digitaria	— —	Dactylis *Rai.*
Plumaria	— —	Linagroſtris *Tourn.*
Lachrymaria	p. 208.	Coix *Linn.*
Farneſia	p. 212.	Laurus Indica.
Oleaſter	p. 214.	Elaeagnus *Tourn.*
Piperodendron	p. 218.	Schinus *Linn.*
Cornulus	p. 219.	Cornus femina *C. B.*
Zedrachia	p. 221.	Azedarach *Tourn.*
Sabiaſtrum	p. 231.	Tarchonanthi ſpecies.

XI.

Medical Obſervations and Inquiries. By a Society of Phyſicians in London. Vol. I. The ſecond edition, corrected. London. Printed for William Johnſton. MDCCLVII. 8. mai. alph. 1. pl. 6. 5 tabb. aen. *.

h. e.

Obſeruationes et diſquiſitiones medicae, a ſocietate medicorum Londinenſium editae. Vol. I. Editio altera, correcta.

Prioris medicorum ſocietatis, quae ab anno huius ſeculi triceſimo tertio ad quadrageſimum quartum uſque Edimburgi ſuos edidit commentarios, exemplo excitati atque ducti, non nulli medici hinc aliquot annis ſocietatem inter ſe conciliarunt Londini, ut, practicam artis medicae partem amplificaturi, morbos epidemicos iisque medendi methodum, prae reliquis utilem viſam, obſeruarent, tarentque, nouaque inuenta, ad rem medicam pertinentia, ſiue Londini, ſiue exteris in regionibus detecta, in primis, quae ſocietatis membra vel ipſi fecerint vel demum inueſtigarint, omni ſtudio colligerent. Exoptati etiam finis, quem ſibi propoſuerunt doctiſſimi illi medici, eo facilius potiri poſſunt, quo frequentiorem obſeruandi morbos habent occaſionem, quum eorum plures noſocomiorum publice conſtitutorum curam gerant, vel certe per longius aliquod iam tempus medicinam facientes, artis ſuae uſu ampliſſimo gaudeant. Ab initio eum tantum in finem conueniebant, ut ſibimet inuicem inſeruirent alterque alteri, quaecunque de-

rum

* Germanice quoque hoc anno 1759 prodiit hicce liber Altenburgi ſub titulo: *Mediciniſche Bemerkungen und Unterſuchungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London.* 8. mai.

um annotaſſet, communicaret. Paulo poſt ta-
en inſtituti ſui uſum atque limites, quantum poſ-
nt, latius prolaturi, non ſolum plures medicos
ſocietatem recipiebant, ſed obſeruationes quo-
ue ſuas colligere, edere ſimulque alios et exteros
uoque medicos inuitare conſtituebant, ut litera-
um commercium cum ſociis inire ipſisque de re
ua medica, quicquid collegerint, impertire vel-
ent. Eo maiorem etiam fructum inde expectare
oterunt, quo maiorem eſſe conſtat mercaturam,
er uniuerſas Europae partes ab Anglis dilatatam,
uius ope vel ex diſſitis terrarum locis et homines
docti aeque ac mercatores ſupellectilis ſuae copiam
ugere poſſunt quam facillime. Vt exteris porro
notescat, ad quaenam ſocietatis membra doctos
uos transmittant labores, vel demum epiſtolas,
uis illa nominibus cuilibet commentario praefixis,
adiecerunt domiciliorum, quae Londini habent, no-
mina. In colligendis vero edendisque obſeruatio-
nibus atque tentaminibus haſce ſibi propoſuerunt
regulas, ut, apud medicos tantum inituri gratiam,
ea quoque tantum ſeligant, quae medici ſint argu-
menti, omiſſis reliquis, philoſophiam atque ma-
theſin ſpectantibus; ut ex iis porro, quos forte ac-
ceperint ab aliis miſſos, utiles modo notatuque ve-
re dignos commentarios ſuis adiiciant; quam ob
rem obſeruationes rite demum atque Hippocratica
methodo conſcriptas, ſiue prorſus nouas, ſiue ali-
am adhuc nondum plane cognitam veritatem con-
firmantes aut illuſtrantes aut nouae tali eruendae
occaſionem ſuppeditantes, recipient; aliis vel du-
biae fidei, vel quorum uſus certe dubius eſt, ſe-
poſitis, donec ex earum multitudine aliquid elici
poſſit utilitatis. Quum per errorem quoque com-
miſſum ſaepius detegamus veritatem, talibus tenta-
minibus, quae exoptato caruerunt euentu, vel re-
lationibus de erroribus in ipſa morborum cura ac-

cidentibus fideliterque traditis lubenter conce-
locum, auctoris nomine, is si postulauerit, t
habito. Hypotheses denique et controuersias e
torum, pomposas saepiusque inutiles librorum
legationes, omniaque artis medicae augmento n
uti decent, utilia visa, ex collectionum suarum
mitibus excludent. Societatis itaque institu
omnem promereri applausum quilibet harum
rum intelligens perspiciet, illumque omnino eo
iorem, quo grauius ab ipsa praestitae fidei do
mentum exhibet supra iam indicatus primus co
mentariorum tomus, anno 1757 editus, cu
nunc epitomen lectoribus nostris traditurі sum

p. 1. *Art.* 1. *Relatio de spastica maxillae inferioris*
tractione, locked-Jaw *Anglis dicta, a digitorum*
dam tendine dilacerato orta et curata; Societati di
cembris decimo 1753 *praelecta. Auctore* 1. SILV
STER, *Med.* D. *Reg. Scient. Societ. Socio.* Femi
quaedam trium et viginti annorum, caeteroqui
sana atque robusta, cum iter faceret, tristem
ipsa via experiebatur lapsum, quo casu primus qu
ti digiti dextrae manus articulus fractus plane d
uellebatur. Londinum eodem die reuersae et in n
socomium peruenienti prima istius digiti phalan
illico amputabatur. Leuata quidem inde aegr
post paucos tamen dies de summis manus dolor
bus, ab altero etiam digiti articulo valde laeso or
tis, conquerebatur. Cutis enim illius cum subie
cta parte carnosa magis magisque retrahebatur, in
tumescebat tota manus inque eius palma aliquot ul
cera serpebant. Quamuis autem aegrae quamcun
que curam haberet chirurgus ipsique etiam venam
secaret, die tamen a casu decimo septimo muscul
qui maxillam eleuant inferiorem, adeo conuelle
bantur, ut neque os aperire nec alimenta assumere
posset aegra, exceptis paucis fluidis, mediante

cochlea-

cochleari inſtillatis, quum a natura promineret inferior maxilla ante ſuperiorem. Varia aegrae applicabantur veſicatoria, interne ipſi dabantur et alexipharmaca et volatilia, ſed cuncta ſine fructu, adeo ut motus iſti conuulſiui nunc fere fierent uniuerſales. Quam ob cauſam per decem dies ſatis largae doſes et tincturae et extracti opii exhibebantur; cuius quidem remedii ope ſupprimebantur conuulſiones, minime vero curabantur. Oſſiculi interim laeſi extima parte magis magisque denudata, totius digiti extirpatio conſulebatur; qua die morbi triceſimo facta, iſtorum quoque ſymptomatum cauſa videbatur ſublata. Illico enim ea reddebantur mitiora, uſuque opii continuato, ſed nunc parcius dato, ſenſim ſenſimque euaneſcebant, ita ut ſub initium tertii menſis aegra praeter aliquam maxillae mouendae difficultatem, prorſus curata dimitteretur. Annotat ſimul Cl. Auctor, quod aegra, opii uſui numquam olim adſueta, illius tamen largas doſes non ſine damno ſolum, ſed hoc etiam cum emolumento aſſumſerit, ut mentis uſus ſpirituumque vitalium actio hilarior, vox liberior, appetitus auctior unaque virium ſequerentur incrementum.

Art. 2. *Caſus quidam hydropis peritonaei per quatuor et quadraginta annos feminam quandam affligentis a* I. IACQVIN, *chirurgo*, ad Cl. SILVESTER, M. D. *relatus et ab hoc Societati communicatus* d. 7 Ian. 1754. p. 8. Aegra vitae ſedentariae dedita, ſemper debilis, triceſimo iam aetatis anno per refrigerium, calido et ſudanti corpori admiſſum, variis ſymptomatibus, atque ex his tandem ſuborto hydropi occaſionem dederat, qui morbus ab initio lente modo creſcens, deinde per tam longam annorum ſeriem idem fere manſerat, nulli remedio cedens: paracenteſeos operationem vero aegra nunquam

permittens, aetatem tamen octoginta duorum annorum attigerat. Cadauer ipsius cultro anatomico
p. 11. subiectum sequentia exhibuit annotanda: Illud ipsum summe emaciatum; integumenta abdominis tria cubita anglica (*Yards*) crassitie superantis, quam maxime extensa, umbilico prorsus obliterato peritonaei lamellas, quas vocat Cl. Auctor, a se inuicem separatas, exterius laeues, interius hispidas et nodosas, singulas vero crassiores, ac in naturali statu ambae simul sumtae esse solent: cauitatem porro, a separatis hisce lamellis factam, 51 libris putidi, crassi viscidi atque salini laticis refertam, in cuius ambitu et fundo potissimum aliquod sedimentum salinum, splendens crystallorum in modum, magnitudine seminis cannabis, figurae prismaticae, reperiebatur: omentum insuper tenuissimum: mesenterium glandulis scirrhosis obsitum: ventriculum cum intestinorum canali valde contractum: reliqua autem viscera sana quidem visa, sed naturali magnitudine multo minora.

p. 13. *Art.* 3. *Epistola* ALEXANDRI RVSSELL, M. D. *ad* IOANNEM FOTHERGILL *Alepo data, in qua plantam Scammonii describit.* Plantam, in prouincia Syria copiosissime crescentem, cuius radicis succus verum illud scammonium in officinis nostris pharmaceuticis obuium exhibet, fuse satis et accurate non describit solum Cl. Auctor, sed totam plantam cum singulis ipsius partibus in addita tabula delineat. *Conuuluulus* illa *foliis sagittatis postice truncatis*, *pedunculis bifloris* appellatur a Cl. ROYEN uti et ab Ill. LINNAEO, a quo descripti etiam fructificationis characteres cum ipsa praeter hoc conueniunt, quod duo tantum semina reperiri in illa is asserat, quum saepius tamen tria, interdum etiam
p. 18. quatuor deprehendantur. Sub initium mensis iunii scammonium ipsum ita paratur, ut, terra superiorem

riorem radicis partem circumdante in omni ipsius ambitu remota, superiorem eius partem duos pedes infra caulis exortum oblique praecidant agricolae vasculumque applicent, in quod succus ille lacteus influit, qui deinde ex non nullis radicibus collectus infunditur in ocream, in qua breui tempore durescit verumque est scammonium, quod iudaei in primis emant variisque rebus, tritici v. c. farina, cineribus aut arena additis adulterant, ita ut scammonium ad nos rarissime apportetur purum. Succum quidem esulae non nunquam etiam admisceri Cl. Auctor audiuerat, sed per undecim annorum seriem, quo tempore medicinam fecit Alepi scammonioque, ut tuto atque valenti remedio, frequenter usus fuit, hanccc adulterationem detexit nunquam. Scammonium, si purum sit, debet esse p. 21. leue, splendens, quando frangitur, friabile, et digito madido prehensum illico lacteſcens. Optime vero, an aliqua fraus commissa fuerit, ex absentibus bonitatis signis detegitur: bonum enim illud est si, vitro aqua repleto inditum cito soluatur, lacteum induat colorem in viridem aliquo modo vergentem, eumque, licet aliquod exhibeat sedimentum, tamen retineat.

Art. 4. *Relatio de infante, cuius viscera abdominis maximam partem in thoracis cauitatem protrusa fuerunt Auctore* GEORGIO MACAVLAY, Med. D. *Societati praelecta* d. 27 *Ianuar.* 1754. p. 26. Infans, iustam magnitudinem adeptus, obesus atque torosus, a matre sana in lucem editus, quum modo natus esset, horrore atque tremore correptus, difficulter ducens spiritum et post aliquod demum tempus edens eiulatum ab illo, qui alias a recens natis infantibus obseruatur, plane diuersum, moriebatur ante, quam duas modo horas vixisset. Aperto cadauere, ventriculum et intestinorum maximam par-

tem cum liene et pancreatis parte, per rimam in diaphragmate obuiam, unum pollicem ab oesopha-go distantem, vi nulla factam, sed naturalem visam, in thoracis cauitatem sinistram transiisse partesque ibi naturaliter collocatas dextrorsum protrusisse, re-periebat Cl. Auctor, omnium viscerum praeterna-
p. 31. turalem situm multo studio describens. Alium por-ro prorsusque similem priori casum, d. 27 Ian. 1755 societati communicatum, refert, qui ab altero ea in re modo diuersus fuit, quod illa viscera abdomi-nis in dextra cauitate thoracis reperta fuerint. Ac curatam harum partium cum praeternaturali ea-rum situ delineationem in duabus additis tabulis Cl. Auctor exhibet.

p. 36. *Art.* 5. *De singulari febris alicuius curatione re-latio*, *a* GOWIN KNIGHT, *Med. Baccalaureo et Reg. Scient. Societ. Socio*, d. 18 *martii* 1754 *praele-cta.* Femina triginta annorum, per febrim, quae continua fuisse ex relatione videtur, semel iam cu-ratam, post refrigerium corporis autem redeun-tem, viribus adeo fracta, ut lecto insidere non pos-set erecta sine lipothymiae metu, praeter alia ma-ligna symptomata et hoc experiebatur, quod, in somnum prolabens, illico euiligaret summo ango-re defatigata, ab ipsa morte quasi proxima. Singu-laris huius phaenomeni eam esse suspicabatur Cl. Auctor causam proximam, quod musculi respiratio-nem perficientes sic dictae actionis inuoluntariae, in somno agant soli, ad hanc vero actionem in tam debili aegra non sufficerent haecque ideo in suffocationis periculum adduci videretur. Hoc ita-que capiebat consilium, ut lecto adsidens obser-uaret aegram eamque in somnum incidentem, simul ac respirationem et pulsum ipsius cessare animad-uerteret, illico expergefaceret. Recte quoque se iudicasse, per euentum conuincebatur. Ab initio

vix

vix per unam horae minutiam ſomno frui aegra poterat, quum expergiſci deberet: quum interim tamen ſaepius faciliusque in ſomnum incideret, ſenſim ſenſimque recuperabat aliquo modo vires, ut paulo longiorem ſomnum capere poſſet hocque remedio tandem eo perueniret, quo morbum vincere et integrae ſanitati reſtitui poſſet.

Art. 6. Inconſueta podagrae criſis a SAMVELEPYE, *M. D. d.* 13 *Maii* 1754 *ad Societatem relata.* p. 42. Digniſſimus omnino videtur eſſe caſus, cuius praecipua hic loci repetamus. Aeger praeter podagram, qua ſaepius iam fuerat afflictus, caeteroquin ſanus atque boni corporis habitus, ſobrius ſibique temperans, ut a podagra prorſus liberaretur, ab omni carnis uſu ſeſe abſtinere victuque tantum vegetabili uti conſtituebat. Podagrae autem paroxyſmo, tametſi leuiore, praeter ſpem redeunte, poſt undecim ſeptimanas ad priorem diaetam carnoſam redibat. Paucis vero menſibus elapſis, paroxyſmus reuertebatur in utrumque pedem cum multo atrociore violentia. Dolor, per duodecim uſque dies ſenſim ſenſimque vehementior factus, ſubito fiebat atrociſſimus; ſummum autem vehementiae gradum adeptus, citiſſime et fulminis inſtar, uti aiebat aeger, ex pedibus ad ſuras, ex his in utraque femora, ex his vero in abdomen, inteſtinis acutiſſimo ſenſu tactis, tandemque in ventriculum euolabat, prioribus partibus, quas occupauerat, liberis relictis. Nunc demum euaneſcebat dolor omnisque morbi paroxyſmus, poſtquam libram unam ſemis virideſcentis aquoſi laticis, tam acris atque acidi, ut fortiſſimo minerali acido ſimilis eſſe videretur, aeger euomuerat. In ſomnum is deinde incidebat adeo reficientem, ut euigilans praeter aliquem tumorem pedum ab omni morbo liber, poſt duos dies exſpatiari ſuisque vacare poſ-

ſet

p. 46. fet officiis. Per totum paroxyſmi decurſum omni mane copioſum foetidiſſimumque experiebatur ſudorem, induſia croceo colore tingentem; urina eius quoque purpureum rubroque vino ſimilem oſtendebat colorem; quae vero ſigna poſt criticum iſtum vomitum cum ipſo morbo emanebant. Similes deinde paroxyſmos, at leuiores, per eandem criſin ultima tamen vice parciſſimam materiam eiicientem, ſublatos, duobus annis inſecutis aeger perferebat, ſemper inde hilari ſanitati redditus.

p. 48. Alio tempore aliisque paroxyſmis conſueto, nec iam enarrato ſimili, modo terminatis, calcarea materia in pede a natura non ſolum excreta, ſed ſimiles quoque lapilli ex planta pedis iuxta pollicis articulum per plures menſes arte extracti fuerant. Poſt aliquod tempus, praegreſſa febre, poſt hanc podagra reuertens vomituritiones quidem, ſed inanes tandemque tumorem ſub pollicis articulo fluctuantem efficiebat, quo inciſo fluidae materiei calcareae copia et altero die vulnere ampliori facto, dimidia libra aquoſae, ſanguinolentae lapidibusque refertae materiae excernebatur, aegro ab illo tempore perfecte ſano permanente.

p. 51. *Art. 7. Inferioris maxillae ſpaſticae contractionis feliciter curatae caſus, a* IOANNE CLEPHANE, M. D. *et Reg. Scient. Societ. Socio relatus atque Societati praelectus d.* 12 *April.* 1754. Priori, quem iam ſupra articulo primo enarrauimus, admodum ſimilis eſt hicce caſus, praeter id, quod dirus iſte morbus a clauo quodam grandi inter duo extrema metatarſi oſſa per totum fere pedem infixo ortum ſuum duxerit.

p. 63. *Art. 8. Relatio de morbis epidemicis in urbe Gambroon frequentiſſimis, a b.* OLIPHANT, M. D. *conſcripta et per* IOANNEM HARDCASTLE, *ab Ill. Socie-*

Societate in India occidentali negotiante conſtitutum chirurgum, cum Cl. FOTHERGILL, M. D. *communicata.* Sunt iſti morbi, veris et autumni tempore quam maxime ſaeuientes, ex genere febrium intermittentium, quae ab initio ſui continuas aemulantur. Moderatum regimen, ab ipſo primo inſultu lene emeticum, raro venaeſectionem, et, aliqua interueniente intermiſſione, tempeſtiuum corticis chinae uſum vel, ſi quis eum in hoc caſu dare reformidet, elixirium vitrioli cum remediis amaris requirunt. Euacuantia fortiora vires infringunt ideoque nocent.

Art. 9. *Relatio de verme quodam, in hepate ge* p. 68.
nerato, in epiſtola THOMAE BOND *ad* IOANNEM ELEPHANE, M. D. *Philadelphia die* 1 *Maii* 1754 *data.* Vidua quaedam honeſta, per duodeuiginti menſes ante ſuum obitum diriſſimis in regione hypochondrii dextri doloribus excruciabatur. Ab initio apis vel acus ictui erant iſti ſimiles, ſenſim ſenſimque auctis, modo hypochondrii dextri, modo ſcapulae eiusdem lateris regionem alternatim occupabant, ſub finem vero tam atroces facti, ut eum morſu grandis canis eos compararet aegra. Ab equitatione leuaminis aliquid percipiens, eo autem maiores experiebatur cruciatus, quando in lecto iacebat. Quodſi manu percuteretur dolens pars, per tempus aliquod eam deſerebant dolores, paulo vero poſt aliam, vel ſcapulam, vel hypochondrium, afficientes, prout haec aut altera pars vapulauerat. In eo loco, ubi dolores ſaeuire coeperant, quinque pollices a ſpina dorſi, coſtae ſenſim ſenſimque adeo protuberabant, ut gibber efficerent, ſub quo, integumentis externis tumefactis atque valde dolentibus, fluida quaedam materies inter muſculos intercoſtales fluctuans deprehendebatur; inciſionem tamen aegra permittere nolebat.

Tandem

Tandem vero locum mutabant dolores, a dextro latere ad ſiniſtrum progredientes, donec ventriculum affligerent. Et hic quoque loci lancinantes erant, uti in hypochondrio fuerant, et vomituritiones vix non perpetuas tuſſimque excitabant vehementiſſimam. Subito autem ſub finem morbi omnes euaneſcebant dolores, et poſt quatuor et viginti horas anterior pars nouem pollices longa et unum lata vermis annularis, poſt alias vero ſex horas reliqua eiusdem vermis pars viginti pollices longa per anum excernebatur: Vermis autem ipſe ſanguine refertus, et colore quoque ruber erat. Nunc vero cum doloribus atque vomitu deglutiendi facultas peribat et miſera aegra poſt 48 horas exſpirabat. De praeſentia viui cuiusdam animalis atrociſſimos iſtos dolores lancinantes efficientis ſemper, dum viueret, prorſus conuicta, corporis ſui poſt mortem imperauerat ſectionem anatomicam;
p. 71. qua facta, hepar naturali magnitudine multo maius, ex parte ſcirrhoſum, et ſiniſtrorſum protruſum, in conuexa vero eius parte inaequali et arroſa, inſignis deprehendebatur cauitas aquoſo et ſanguinolento latice cum ſanguine grumoſo repleta, a cuius latere alius erat locus excauatus duos pollices latus, ex quo via ſatis ampla ad ductum hepaticum ducebat, cuius in duodenum inſerti exitus tam amplus erat, ut candelae ſebaceae magnitudinem aequaret. Veſica fellea ouo anſerino ſimilis, bile repleta, licet preſſa, vix tamen aliquid bilis per ductum cyſticum multo anguſtiorem factum emittebat. Nullum itaque ſupererat dubium, vermem iſtum ab initio forte cum cibo aut potu deglutitum, ex duodeno per ductum hepaticum tranſiiſſe in hepar ibique domicilium ſuum per adeo longum tempus feciſſe, deinde vero per easdem vias reuerſum, tandem per anum ex corpore proſcriptum fuiſſe. Vermis huius pars poſterior in addita tabula

bula aenea delineata sistitur, reliqua per incuriam adstantium reiecta. Similem autem istum fuisse illi, qui in *tentaminum Edinburgensium tomo secundo* describitur, Cl. Auctor refert.

Art. 10. *Epitome litterarum, quas* MVRDACK MACKENZIE, M. D. *Constantinopoli ad* IOANNEM CLEPHANE, M. D. *dedit et in quibus ischuriae cortice peruuiano curatae historiam exposuit; Societati communicata d.* 24 *Septembris* 1754. Vir quidam triginta annorum, sanus atque robustus, nulli unquam antea morbo, qui vias urinarias afflixisset, obnoxius, subito et sine ulla causa cognita, vera corripiebatur ischuria, quam vero nec adhibita venaesectio, neque clysteres, neque semicupium, neque alia, quae spasmos lenirent atque iuuarent diuresin, interne data remedia tollere poterant. Tandem vero musculorum urinae extrusorum summam laxitatem in causa esse posse Cl. Auctor putans, corticis peruuiani puluerem tanto cum successu exhibuit aegro, ut post tres eius drachmas deuoratas quinto morbi die urinam mittere inciperet, a decem vero eius drachmis deinde sumtis perfectae sanitati restitueretur. Catheteris applicationem aeger prorsus recusauerat. p. 81.

Art. 11. CADWALLADER EVANS, M. D. *de curatione quadam, electricitatis ope Philadelphiae praestita, relatio, d.* 21 *Octobris* 1754 *Societati tradita.* Femina quaedam quadraginta annorum sine certa aliqua causa cognita per decem annos continuos crebrioribus insultibus conuulsionum, hystericis similium, correpta, variis sed incassum utens remediis, tandem fortissimae electricitatis adhibitae auxilio prorsus inde liberata fuit. p. 83.

Art.

p. 87. *Art.* 12. *De opiſthotono atque tetano commen-*
rius; Auctore LIONEL CHALMERS, M. D. *ex urb.*
Charles-Town in Carolina meridionali, ad IOANNEM
FOTHERGILL, M. D. *miſſus et ab hoc Societati trans-*
tus d 31 *Octobris* 1754. Vterque iſte morbus, in
regionibus coeli temperatioribus raro obueniens, in
calidioribus autem endemius, omnibus quidem an-
ni temporibus, quam maxime autem aeſtate, ab
aeris temperie aeſtuoſa, per ſubitaneos ac copioſos
imbres in frigidam mutata, indeque a refrigerio ſe-
uentibus ſaepe corporibus admiſſo, ut plurimum
ducit originem. Quum vero a veteribus medicis
non ſatis eum expoſitum, recentioribus autem fere
prorſus incognitum et ab ipſo quoque BONTIO,
licet pauca tantum de ipſo tradiderit, falſe deſcri-
ptum eſſe putet Cl. Auctor, ea, quae is ipſe de iſto
p. 91. habeat obſeruata, communicare voluit. Omnem
vero iſtum morbum tribus abſolui ait periodis, qua-
rum prima ſequentibus ſeſe exſerat ſymptomatibus:
Opiſthotonum nimirum lente ut plurimum et mi-
tioribus malis ingredi, rigiditate ſcilicet colli et ſca-
pularum moleſta ab aegris tum pro rheumatiſmo
tantum habita, cum totius corporis languore: ſenſim
vero augeri iſta, ut obfirmatum prorſus caput nec
anterius neque ad latus flecti queat: accedere nunc
maxillae deprimendae atque deglutiendi difficulta-
tem, ſaepiusque ſubitum atque ſpaſticum ſub enſi-
formi ſterni proceſſu ad dorſi uſque ſpinam per-
ceptum dolorem, ſaepius atque maiore vi redeun-
tem et ab aucta colli ſcapularumque rigiditate, ca-
pite retracto et maxillarum fortiore contractione
exceptum: aegrum vero propter doloroſam atque
nouos ſpaſmos afficientem deglutitionem alimenti
nihil aſſumere: ſpaſmum vero per integram dorſi
ſpinam ad extremitates uſque procedere et aegrum,
quo lectum petat, nunc cogere. Primam hancce
periodum per tres quatuorue interdum dies iam
deſcripto

descripto modo crescere et permanere dicit Auctor, non nunquam vero pauco horarum aliquot spatio ita augeri, ut ante tertium saepius diem aegri extinguantur: pulsum hoc morbi stadio tardum esse atque valde durum, aluum obstipatam, sanguinem, vero ex vena missum, fere nullam sui mutationem ostendere.

Alteram morbi periodum iisdem fere, sed ve- p. 93.
hementia auctis, symptomatibus, spasmoque crebrius redeunte conspicuam esse Cl. Auctor narrat: spasmum enim, sub sterni processu ensiformi saeuientem, quem ipsius morbi signum pathognomicum is dare perhibet, nunc frequentius et singulis certe decem vel quindecim horae minutiis excruciare aegrum, illico retractionem capitis et totius corporis efficientem: faciem, modo pallidam, modo rubram atque semper melancholicam, et maxillam seri contractam, quam si deprimere velis, spasmi certo sequi reditum: musculos, deglutitionis actionem perficientes, fortissime contrahi: spasmo autem aliquantum se remittente, remanere tamen semper aliquam laesarum partium rigiditatem: pulsum semper durum ac ut plurimum tardum, in quibusdam vero aegris naturali celeriorem esse: sanguinem, et nunc e vena missum, inflammationis nullum dare signum, sed dissolutum magis et aquosum videri.

In tertia tandem periodo aegri status fit miserri- p. 97.
mus, quum is abripiatur in cruciatum vix non perpetuum, nec ullam fere percipiat spasmorum remissionem; quin immo isti et anteriores corporis musculos occupant, posterioribus tamen maiore tantaque vi contractis, ut spina dorsi arcus in modum reflectatur, et aeger in occipitis tantum calcisque regionibus decumbat. Accedunt sudores copiosi, pulsus celerrimus, paruus et inordinatus cum calore vehementer aucto, delirium summaque anxietas saepiusque, uniuersali superueniente con-

uulſione, triſtiſſimo morbo ſimulque vitae impon
tur exoptatus finis.

p. 99. Multa quidem cum tetano iam deſcriptus mor
bus habet communia; muſculi tamen corporis an
teriores cum poſterioribus ab initio tetani ſtatim
contrahuntur: abdomen ſemper durum atque ple
num eſt; id quod in opiſthotono ſub finem tandem
accidit: deglutitio paulo liberior eſt; ſpaſmus au
tem ſub ſterno perceptus et hic quoque locum
habet.

Quum per tam violentos ſpaſmos, omnes cor
poris actiones perturbantes, ſecretiones quoque
impediantur, facile patet, nullum a natura auxil
um per criſin quandam, ſed illud omne ab arte tan
tum expectandum eſſe, ita tamen, ut remedia ca
lida et acria, veſicatoria in primis, ſedulo euite
tur. Neque a mitioribus euacuantibus, diapho
ticis atque emeticis, aliquid boni prouenire, ob
p. 101. ſeruatio docuit. Interim in calidorum balneorum
et opii largiore uſu, uti et interdum in aegris ple
thoricis in venaeſectione, ad iuuandam horum re
mediorum actionem, ab initio ſecundae potiſſimum
periodi adhibenda, unicam curationis ſpem colla
candam eſſe Cl. Auctor perhibet; balneorum tamen
calorem pro aeris varia temperie et minore aut ma
iore in aegro deprehenſo calore, diuerſum eſſe de
bere, ad 96 vel 102 gradum thermometri Fahren
heitiani temperandum: aegri, dum balneo ad ca
put uſque inſideat, collum, pectus atque dorſum
leniter fricandum, eum ipſum vero tamdiu in illo
detinendum eſſe, donec pulſus mollior atque ple
nior euadat· opii vero ſolito multum largiores do
ſes toties ipſi debere propinari, quoties prioris do
ſis exhibitae actio finita eſſe videatur in eiusque re
petito uſu continuari, donec iſte ſpaſmus ſub ſterni
proceſſu xyphoideo euaneſcat et reliquae conuulſio
nes ſe remittant: clyſteres quoque emollientes, an

tiſpas-

tiſpasmodicos, iniiciendos et regioni ſcrobiculi cordis veſicam aqua calida repletam imponendam, rigidis vero partibus oleoſa mucilaginoſa calide infricanda, tandem vero, aliquot diebus poſt ſublatum ſpaſmum elapſis, lene aliquod remedium aluum ducens praeſcribendum eſſe. Quoties ex balneorum uſu deglutitionis actio paululum liberior facta fuerit, decoctum theiforme emolliens, vel ſerum lactis acidiuſculum, pro nutritione vero decoctum auenae excorticatae vel aliud ſimile, aegrum cantharuli ope ſorbillare iubet Cl. Auctor.

Art. 13. *De caecitate periodica commentarius Au-* p. 111
ctore SAMVELE PYE, M. D. *Societati d.* 4 *Nouembris* 1754 *praelectus.* Vir quidam quadraginta annorum, quum ſuis vacarat laboribus, paulo ante, quam ſol occideret, ſubito ac ſine aliqua praegreſſi cauſa, artuum oculorumque uſu priuabatur, caeteroquin nullo de dolore alioue malo conqueſtus, ſed caecus tantum per totam noctem permanens. Ingruente ſubſequentis diei luce, et artuum et oculorum uſus redibat, ſub crepuſculo autem eiusdem diei denuo peribat viſus, ſed reliquorum corporis membrorum actio manebat nunc intacta, hiſce tantum accedentibus ſymptomatis, quod leuis dolor regionem ſupra oculum et ſuſurrus auditus organon afficeret, pupilla vero tertiam ſui partem amplior redderetur. Eo iam deſcripto modo per duos menſes perdurabat malum, poſt illos autem modo reuertebatur, modo non comparebat. Anno autem fere elapſo, interdum redibat iſte morbus, ſingula tamen vice per unam tantum noctem praeſens, donec ultima vice per aliquot dies permaneret, ita ut nunc corticem chinae contra illum adhiberet Cl. Auctor. Paulo quidem poſt euaneſcebat iſte; num vero ab uſu huius corticis, an ſua ſponte, uti olim acciderat, dubium eſſe videtur.

Interim tamen ſub ipſo huius remedii uſu diarrhoea cum febre continua correptus aeger intra pauca dies ab hac extinguebatur. Breuem ſubiungit Cl. Auctor commentarium, quo veterum de hoc morbo ſententias atque diſſenſus exponit.

p. 126. *Art.* 14. *Super origine alicuius pulueris, contra arthritidem commendati, commentarius, Auctore* IOANNE CLEPHANE, M. D. *et Reg. Scient. Soc. Socio, Societati praelectus d.* 4 *Nouembris* 1754. Ab aliquo tempore puluis quidam antarthriticus dictus a nomine ducis Vindelis (*Portland*) cognominatus, magnam quidem famam in Anglia acquiſiuit, cuius compoſitio ita ſe habet: Recipe radicum ariſtolochiae rotundae, gentianae, ſummitatum chamaedryos, chamaepityos et centaurii minoris aequalem quantitatem; fiat omnium mixtarum puluis ſubtiliſſimus, cuius drachmam in conuenienti vehiculo ſumat aeger ſingulo mane per plures menſes. Pulueris huius primum auctorem atque fata ſedulo inueſtigat Cl. Auctor, a GALENI tempore ad noſtrum uſque aeuum, quo a medicis Pariſiis in ipſorum *Codicem medicamentorum* ſub titulo *pulueris arthritici amari* receptus fuit.

p. 146. *Art.* 15. *Epitome litterarum a* MACKENZIE, M. D. *Conſtantinopoli ad* IOANNEM CLEPHANE, M. D. *d.* 1 *Februarii* 1755 *datarum.* Feminae quidam 57 annorum robuſti et ſiccioris corporis habitus poſt dolorem colicum in hydropem aſciten incidenti aquae ſtagnantes intra 21 menſium ſpatium per 22 vices paracenteſeos ope detractae fuerunt, aquis emiſſis 231 *Ogues*, quarum ſingula 400 drachmas aequat, ideoque 722 libras ponderantibus. Semper bene ſatis ſeſe habuit tandemque apoplectico inſultu periit.

Art.

Art. 16. *Sarſaparillae radicis contra luem veneream vires experiundi tentamen; Auctore* GVILIELMO FORDYCE, *Regiae cohortis chirurgo caſtrenſi; die 24 Martii 1755 Societati praelectum.* Omni attentione digna ſunt, quae de viribus huius radicis obſeruata habet Cl. Auctor et per tredecim caſus fuſe hic enarratos confirmat: eam ſcilicet dolores capitis venereos atque nocturnos breui tempore uſuque continuato prorſus tollere: in corporibus ex cauſa venerea emaciatis appetitum, nutritionis augmentum floridumque faciei colorem prae aliis remediis optime reſtituere: in iis caſibus, ubi ſquamoſa oſſa in primis laeſa ſunt, ſi mercurius antea frictionis ope fuerit adhibitus, ſatis longo uſu curationem efficere: in ſcabie venerea vel talibus quoque ulceribus, mercurio ſimul in auxilium vocato, iuuare immo perficere curationem: in ulceribus cancroſis parum quidem praeſtare, ad bubones vero vel reſoluendos vel, ſi conſolidationem reſpuant, curandos, poſt unguenti mercurialis uſum, optime conuenire: in caſibus, ubi nec unguentum mercuriale, neque decocta guaiaci ſaturata profuerint, optime et cito iuuare ſine accurato ab aegris obſeruato regimine: in illis porro tantum aegris, qui mercurio quidem, ſed ſine ſucceſſu uſi fuerint, vel qui eum ſub ipſo huius decocti uſu infricandum curent, exoptatum efficere euentum, ita ut ei ſoli fidere nequeamus: mercurium denique ſolum quidem datum plurima ſublaturum ſymptomata venerea, ſarſaparillam vero deinde ea, quae mercurii viribus repugnauerint, prorſus curaturam eſſe, ita ut in utroque hoc remedio ſimul adhibito contra quemlibet morbum venereum certa cura quaeri debeat. His expoſitis, multus nunc eſt Cl. Auctor, ut demonſtret, quaenam radix commendata vera ſit? unde ad nos apportetur? quamnam fidem ab initio habuerit numque ea fidis quoque obſeruationibus

p. 149.

p. 169.

p. 172.

nibus ſuperſtructa fuerit? cur ea deinde immixta
p. 181. ſit? et quo modo in uſum vocari debeat: Tribus nimirum unciis radicis recentis nec ullo modo corruptae eiusque potiſſimum parti molliori, ſuccolentae, quam Cl. ASTRVC flagella nominat, tres menſuras (*quarts*) aquae fluuiatilis infundere et in vaſe aperto ad remanentiam duarum librarum (*pints*), addita interdum ſub finem aliqua radicis liquiritiae copia, decoquere iubet Cl. Auctor, qui hanc menſuram intra 24 horas per duas tresue vices vel calide, vel frigide, bibendam aegro dare ſolet, abſtinentiam in primis a vino ipſi commendans.

p. 184. *Art.* 17. *Relatio de quibusdam corticis peruuiani virtutibus nec ſatis cognitis neque deſcriptis, in caſibus praeſertim ſcrophuloſis,* a IOANNE FORDYCE, *M. D. facta et per* IOANNEM CLEPHANE, *M. D. cum Societate communicata die* 24 *Februarii* 1755. Adenos glandularum tumores reſoluendos cum ſucceſſu peruuianum corticem ſe adhibuiſſe non perhibet ſolum Cl. Auctor, ſed variis etiam, quos enarrat, caſibus confirmat. Quum illis morbis ſanguinem tenuem cum inſigni partium ſolidarum laxitate animam ſuppeditare conſtet cauſam, exoptatum ideo a cortice illo, ut roborantium remediorum primo, expectari poſſe quilibet rerum medicarum gnarus facile intelliget.

p. 201. *Art.* 18. *De lepra in principatu Maritimae Coloniae in Prouincia* (Canton of Martigues in Provence) *ſaeuiente relatio ex litteris a* IOANNIS, *M. D. Aquis ſextiis* (Aix) *conſtituto phyſico ad* CLEPHANE, *M. D. d.* 15 *Octobris* 1755 *datis extracta.* Martigii, quae urbs iam dicti tractus eiusdem eſt nominis, noſodochium ab antiquiſſimis iam temporibus fundatum et a S. LAZARO nominatum eſt, in quod miſerri-

miserrimi isti aegri diro hoc leprae morbo, ibi endemio facto, correpti recipiuntur, donec tristem vitam finiant. Legitur hic ampla morbi istius haereditarii descriptio, contra quem huc usque nulla reperta fuit medicina.

Art. 19. *Litterarum, quas* CADWALLADER COLDEN, *Eques, ex prouincia Eboracensi noua dicta* (New-York) *ad Dr.* FOTHERGILL *de angina gangraenosa dedit, epitome, Societati d.* 24 *Decembris* 1753 *praelecta.* Morbum istum satis iam cognitum esse arbitramur; notamus tantum, corticem peruuianum a non nullis medicis contra istum sine successu datum fuisse, quum in eo tamen omnes corporis succos ad putredinem inclinare, eaue potius, iam corruptos esse, symptomata testentur; diapnoen vero, non vi, sed leniori regimine et infuso herbae saluiae vel radicis serpentariae, paululum auctam optime conueniisse. Cl. DOUGLAS, Medicus Bostonienſis, mercurium dulcem cum camphora mixtum feliciter adhibuisse dicitur. p. 211.

Art. 20. *De insolitis neruorum symptomatibus in puella tredecim annorum obseruatis, relatio a* GEORGIO MACAULAY, M. D. *die* 19 *Aprilis* 1756 *praelecta.* Puella menstruum fluxum nondum experta hactenus tamen sana, una alteraque vice faucium spasmo corporisque languore correpta, paulo post, cum bubulam carnem frigidam atque cucumerem comedisset, superhausta frigida, de vertigine ac nausea querebatur, ab assumto tamen emetico non leuata. Post biduum dextra manus singulari quodam motu conuulsiuo ita affligebatur, ut prehensa dextra, sinistram occuparet spasmus praecedente leui lipothymia, hacque firmata, in priorem reuerteretur, utraque vero firme retenta, extremitates interiores, hisque captis et comprehensis, integrum p. 230.

tegrum corpus affligeret. Tandem in veram vilum epilepſiam mutatus morbus cum rarioribus omnino ſymptomatis, lente ac difficulter, attamen feliciter, tollebatur.

p. 240. *Art.* 21. *De ipecacuanhae parciſſimis doſibus exhibitae viribus commentarius a* SAMVELE PYE, *die* 3 *Maii* 1756 *praelectus.* Ipecacuanham, ut vires eius experiretur, ab uno grano aut duobus ad ſex uſque in permultis aegris variae aetatis et variis quoque morbis, dummodo emeticorum uſum indicarent, affectis exhibuit Cl. Auctor ſuasque ſuper hac radice factas obſeruationes et in tabulis inſignem aegrorum multitudinem cum illorum aetate, data doſi atque effectibus, breuiter comprehendentibus, et in aliquot morborum hiſtoriis fuſius expoſitis, hic loci recenſet, firmo ſatis documento, remedium hoc non eſſe ſolum tutiſſimum, ſed longe parciore copia, ac quis crediderit, cum ſucceſſu ac ſine virium aegri diſpendio, propinari poſſe.

p. 280. *Art.* 22. *De femina extra fidem fere veternoſa ad Hanoniae Montes degente, relatio a* TERENTIO BRADY, *M. D. Ser. Lotharingiae Principis,* CAROLI, *archiatro, Societati tradita die* 3 *Maii* 1756. Non ea propter ſolum memoratu digniſſimus eſt nunc indicatus caſus, quod inexpugnabili longum capiendi ſomnum neceſſitate per plures annos oppreſſa fuerit miſera haec aegra, adeo ut ſinguli dies tres quartas partes ſomno profundiſſimo, ex quo nulla ratione expergiſci potuerit, prorſus quaſi ſepulta eſſet, ſed etiam, quod omnia corporis membra ſomni tempore rigida fierent et omnis ſenſus expertia. De capitis tantum grauitate ante, quam veternus ipſam occuparet, querebatur, anno 1753, cum Auctor ipſam inuiſeret, adhuc viuens in ſtatu hoc triſtiſſimo.

Art.

Art. 23. *De pertinaciſſimo cruris ulcere ſcorbutico, valde diu perdurato et aquae calcis viuae auxilio tandem curato, relatio ab ipſo aegro ad* IACOBVM GRAHAM *data et a doctore* MACAVLAY, *die* 1 *Iunii* 1756 *praelecta.* In ſura ſiniſtri cruris papula ſponte oborta in dolorificum ulcus viginti duobus tandem foraminibus conſpicuum tranſiens cum inſigni totius illius membri tumore, omnibus contra illud adhibitis remediis atque thermis per plures annos pertinaciſſime reſiſtebat, donec per plures menſes aquam calcis viuae eiusque ſingulo die tres libras (*pints*) non biberet ſolum aeger, ſed fomenta quoque inde parata laeſae parti applicaret. Quam expers virium, certe quam innoxius ſit aethiopis mineralis uſus, ex hac morbi hiſtoria patet, quum permultis eius libris cochleari menſura per longum ſatis tempus aeger uſus fuerit absque aliquo, qui in ſenſus incideret, effectu. p. 286.

Art. 24. *Relatio de duobus caſibus paralyticis in litteris* ALEXANDRI RVSSELL, *M. D. Alepo ad* IOANNEM FOTHERGILL, *M. D. datis facta et ab hoc Societati praelecta die* 1 *Nouembris* 1756. Prior caſus ideo notari meretur, quod apoplexia ſaepius in uno aegro rediens paralyſin ab ultimo paroxyſmo ut plurimum relictam ſuſtulerit: alter vero, quod paralyſis hemiplegia a forti praegreſſa apoplexia completa remanens poſt quatuordecim dies ſenſim ſenſimque et hoc modo fuerit curata, ut ſenſus atque mouendi facultas in affecto brachio primum in digitos, carpum deinde, tandemque totum brachium, inuerſa autem ratione quoad extremitates inferiores, in femur nimirum, tum vero in crus, tandemque in pedem extremum redirent. p. 296.

Art. 25. *De corticis peruuiani uſu in morbis ſcrophuloſis commentarius; Auctore* IOANNE FOTHER-GILL, p. 303.

GILL, M. D. *d.* 29 *Nouembris* 1756 *praeſtitum.* Multum is cum illo ſupra iam ſub articulo 17 commemorato conuenit. Non nullis enim, quae hic enarratae leguntur, morborum hiſtoriis, egregius decocti illius corticis vires comprobat Cl. Auctor: inueteratas nimirum ophthalmias illi ut plurimum cedere; glandularum tum colli, tum parotidis, cum aliarum, tumores a ſui initio illius ope ſaepius reſolutos vel certe ipſorum incrementum cohibitum; labia tumefacta cum exanthematibus et ulceribus cutis a ſimili cauſa ortis curata, ſanguinisque totius maſſae deprauatam indolem inſigniter inde emendatam fuiſſe. Qua ratione autem iſtis morbis mederi queat unus fere chinae cortex, docte atque perſpicue exponit, quum vix non omnibus ſic dictis alterantibus et reſoluentibus remediis parum fidei haberi poſſe demonſtret, utpote talibus, quorum actio, num praeſenti humorum indoli ſaepius adhuc latenti, vere conueniat immutandae, non ſatis cognita ſit; de quibus porro non conſtet, quomodo a digeſtionis viribus ante, quam ſecundas vias ingredi poſſint, mutentur: quum inſuper in iis potiſſimum morbis, quorum cauſa proxima viſcoſitas ſanguinis humorumque et ſolidorum laxitas putatur, adhuc dubium ſit, priusne fluidas, an ſolidas corporis partes affecerit morbus? numne his, an illis prius mederi debeamus? numne, ſolidis mutatis vel confirmatis, fluida quoque corrigantur? quum denique ii, qui morbos vel maxime in remotiſſimis partibus haerentes tollere ſatagant, ſaepius optime agere videantur, ſi primam corporis officinam, ventriculum puta, reſpiciant eiusque ut actionem iuuent reddantque ſatis efficacem et bonam, omni ſtudio enitantur. Corticis itaque peruuiani, ut remedii non amari ſolum, ſed leniter quoque adſtringentis, virtutes praemultis aliis remediis in plurimis quoque morbis conſpicuas eſſe debere Cl. Auctor

Auctor euincit. Satis larga tamen et ſufficienti doſi ſatisque continuato uſu illum exhibendum eſſe probat aegris, hacque a SYDENHAMIO neglecta regula, factum eſſe ait, ut egregias illius vires magnus ille vir non ſatis cognouerit. Idem quoque aſſerit de BOERHAAVIO cortici non iuſtas laudes tribuenti, licet in tanti viri excuſationem illud etiam moneat, quod corticis in Belgio venditi bonitas non illa eſſe obſeruetur, qualem Angli ſeligere ſciant. Quum puluerem corticis ut plurimum recuſent aegri uti nauſeoſum, extracti autem vires multum imminutae videantur, utrique praefert Cl. Auctor decoctum eius aquoſum, cui ſub coctionis finem glycyrrhizae radicis particulam, aut uuas corinthiacas, aut gummi arabicum addere iubet, ut medicamentum non fiat ſolum minus ingratum, ſed potius ut decoctum ſpiſſius inde redditum, tenuiores corticis partes eo maiore in copia ſuſcipere et retinere poſſit. p. 317.

Art. 26. *Hiſtoria aneurysmatis in aorta oborti, cum quibusdam annotationibus ſuper aneurysmatibus in genere; Auctore* GVILIELMO HVNTER, M. D. p. 323.

Vir quidam 39 annorum, thoracibus, quibus feminae elegantiae ſtudioſiores indui ſe patiuntur, conficiendis occupatus, (*a ſtay-maker*,) ab iſto labore ſatis graui, quo baculos nimirum ex balaenae coſtis praeparatos omni adhibita vi dextrae manus ope adigunt artifices iſti, veriſimiliter ex hac cauſa in hunc morbum inciderat. Aortae enim arcus in grandis valde aneuryſmatis tumorem ſenſim ſenſimque adeo dilatatus fuerat, ut is intra ſecundae tertiaeque coſtarum cartilagines ad duos pollices promineret, ſolitis caeteroquin ſui ſignis conſpicuus. Per tres annos morbum huncce aeger tulerat, tumore tandem exterius disrupto, ſanguine et vita ſemel citoque exhauſtus. Cadaueris incidendi occaſionem

ſionem Cl. Auctor nactus, et ipſius tumoris et partium vicinarum, quam inuenerit, rationem, ample ſatis non exponit ſolum, ſed, additis duabus tabulis aeneis, ſtudioſe delineat. Explicitae deinde morbi hiſtoriae ſubiungit animaduerſiones ſuper eo generatim conſiderato quarum aliquas repetere nunc iuuabit. Aneuryſmata in tria diſpeſcit genera, quorum unum a dilatatione ſola ortum, *verum*, alterum a vulnere vel dilaceratione exceptum, *ſpurium*, tertium denique ab utraque hac cauſa laedente ſimul concurrente productum, *mixtum* dici poſſet; ſpurium autem in duo rurſus alia genera diuidit, quorum unum *diffuſum*, alterum vero *circumſcriptum* appellat; iſtud, emphyſemati aut anaſarcae non abſimile, quando ſanguis ex arteria ſauciata per contextum celluloſum in vicinarum partium interſtitia excurrit, cito increſcens debilique tantum pulſatione conſpicuum; hoc autem, quando ſanguis emiſſus in ſacco quaſi peculiari, a cellulari membrana arteriam circumcingente duriore facta vel etiam forte a ſuperiacente membrana aponeurotica confecto haeret, verum ideo aneuryſma valde ſimulans, et per cauſas praegreſſas potiſſimum ab hoc diſtinguendum. Num forte, vena penitus pertuſa, arteria quoque, ſi immediate ſub ea iecerit, laedi tumque cum illa coaleſcere poſſit ita, ut quaedam per anaſtomoſin facta communio inter utramque maneat? Cl. Auctor quaerit. Vidit certe caſum, qui alio modo vix explicari potuit. Duos iam ante annos baſilica ſecta fuerat, ſequentibus deinde obſeruatis ſymptomatibus: Brachio ligato, venae et in primis baſilica valde intumeſcebant ad duos pollices infra et ſupra cubitum: Vena compreſſa, ſimul ac cederet compreſſio, ſanguine erat illico repleta, licet infra illum locum fortis applicata eſſet ligatura. Arteriae loco fortiter compreſſo, venae arctiores et collapſae videbantur, ligatu-

p. 336.

p. 340.

ra

ra antea siue applicata, siue demta fuerit. Omnis ista regio ad tractum arteriae erat tumida, huiusque ipsius pulsus naturali obseruabatur multo fortior. In ipsa tandem secta vena, in primis in laesionis loco, tremulus aliquis et inordinatus motus aderat, paulo supra et infra non detegendus. In aortae p. 344.
aneurysmatibus saepius iam quidem obseruatum fuit, vicinas quoque vertebras fuisse corruptas, ideoque inter se disputarunt chirurgi, num haec ossium corruptio vel causa vel demum effectus fuerit aneurysmatis. In praesenti casu et vertebrarum, quas attigerat iste saccus, corpora et sterni partem erosa quidem et sacci adhaerentem ibi partem prorsus corruptam, sed erosionem a carie solita diuersam et a sanguine alluente potius ortam deprehendit Cl. Auctor, uti lapides ab aquarum guttulis delabentibus excauari obseruamus. Similem hac occasione is enarrat casum tumoris temporum ossi inhaerentis, nihil, nisi merum sanguinem continentis, quo inciso, subiacens ossis temporum pars prorsus obliterata visa fuerit, testimonio os illud ab ipso sanguine fuisse solutum. In nostro interim casu id notatu dignum esse videtur, quod, non mollioribus solum, sed durioribus quoque partibus, ossibus puta, arrosis, cartilagines tamen costarum e loco quidem suo motae, tamen non corruptae fuerint.

Art. 27. *Epistola* IOANNIS FOTHERGILL, p. 358.
M. D. *ad Societatem data de adstringente quodam gummi ex Africa allato.* Gummi illud non dum satis cognitum, multum tamen boni in praxi medica promittens, a Cl. Auctore describitur, quod durum sit, diffringi facile possit, profunde rubrum nec pellucidum, praeter minutissima granula rubra et pellucida visa, inodorum, in ore facile solubile et saporis valde, sed non ingrate adstringentis

cum

cum grato aliquo mucilaginis, ſenſu, quod porro groſſo modo tritum facile in aqua maximam ſui partem ſoluatur eique profunde rubrum colorem et adſtringentem ſaporem conciliet. Quum itaque in aqua ſoluatur, a ſanguine draconis, et quum facile frangatur, a communi gummi Senegalico dicto, ab utroque autem vi inſigniter adſtringente differt. Si externam eius faciem tantum reſpicias, cum vero ſanguine draconis facillime confundes ideoque etiam ſub hoc nomine apud mercatores interdum reperies. Ex iſta potiſſimum regione, quam flumen Gambia dictum alluit, huc uſque allatum fuit ideoque *gummi rubrum adſtringens Gambienſe* nominari poterit. In Cl. MOORE itineribus in interiores Africae partes eius mentio fit (*Travels into the inland parts of Africa* p. 113. Ed. 2.)

p. 365. *Art.* 28. *De luis venereae curatione mercurii corroſiui ſublimati ope praeſtita, relatio cuidam Societati medicae ſocio communicata ab* ABRAHAMO GORDON, *Regiae legionis Howartianae chirurgo primo, in literis die* 18 *Februarii* 1757 *Plimuthò datis.* Egregio illi medico, tum obſeruationibus ſuis de morbis inter milites in caſtris obuenientibus tum experimentis de inueſtiganda putredinis indole multo cum ſtudio captis, inter viros doctos claro, Cl. PRINGLII ſumma ſanitatis cura apud Regios exercitus demandata fuerat. Hic vero chirurgis apud ſingulas legiones merentibus id quoque imperauerat, ut mercurii ſublimati ſolutionem ab Ill. VAN SWIETEN quam maxime commendatam venereis in exercitu obuiis aegris propinarent, notarent effectus et quaecunque demum obſeruauerint, ad ipſum referrent. En igitur copioſae et amplae relationes, quas hic loci inſertas deprehendes, ex quibus patet, in plurimis omnino aegris expectatam opem egregie

egregie tuliſſe iam ſatis decantatum iſtud remedium.

Art. 29. *Experimenta de artificio olea, reſinas et pingues ſubſtantias cum aqua miſcendi ope mucilaginis cuiusdam vegetabilis, in literis* IACOBI BOGLE FRENCH, *pharmacopaeo Londinenſi ad* IOANNEM FOTHERGILL, M. D. *datis tradita, cum huius additis animaduerſionibus.* p. 412. Cum quatuor unciis gummi arabici puri in octo unciis aquae fluuiatilis ſolutis et mucilaginem ſyrupi inſtar efficientibus, varia Auctor ille facit tentamina, dum illam mucilaginem cum variis rebus oleoſis et pinguibus miſceret cum per ſolam agitationem in phiola factam, cum per trituram oleoſis nimirum corporibus cum puluere gummi arabici in mortario vitreo aut marmoreo antea trito permixtis et humidis dein, quae addi pro re nata debent, ſuperaffuſis, quae vero cuncta hic loci repetere nimis longum foret. Illud tantum patere inde dixiſſe ſufficiat, quod illius ope oleoſa et ſimilia cum aqua facile miſceri queant loco vitelli ouorum, huc uſque in hunc finem adhiberi ſoliti, id quod tamen non ſemper tam tuto praeſcribi poteſt, ac illa mucilago, quae medici praeſcribentis raro contrariatur indicationi, nec facile in rancidam abit corruptionem, neque magni pretii eſt. Quid? quod longe facilius, ac omnia alia ideo tentata, remedia mixtionem adeo diuerſorum corporum iuuet, praeſertim ſi quis additus fuerit ſyrupus. Vt interim regulam habeant formulas praeſcripturi, ſequentem commendat Cl. FOTHERGILL. *Recipe* nimirum *aquae ſimplicis unciam unam ſemis, ſpiritus drachmas duas, balſami ſcrupulum unum, mucilaginis gummi arabici drachmam ſemis, ſyrupi ſimplicis drachmam unam; vel recipe aquae ſimplicis unciam unam, olei amygdalarum unciam ſemis, ſyrupi et aquae ſpirituoſae ana drachmam unam, puluer-* p. 431.

is

ris gummi arabici ſcrupulum unum vel mucilaginis gummi arabici drachmam ſemis, M. agitando. Ille porro inde prouenire uſus perhibetur, quod ingratus quorundam remediorum ſapor corrigatur, nec ipſa ſolum corruptioni non facile ſit obnoxia, neque miſcenda corpora iſti ſubiiciat; quod camphoram, moſchum, atque ceram fluida ſub forma et in iuſta doſi exhibendi ſuppeditet auxilium; et quod denique addita acida hanc mixtionem haud turbent ideoque hac ratione ſuo tempore dari poſſint; quum e contrario volatilia alcalica mixtionem impediant, quibus vero, uti non ſemper conuenientibus, ad miſcenda iſta corpora aliena, ſubſtitui poteſt ima deſcripta mucilago.

XII.

De Saporibus et Guſtu, Diſſert. inauguralis a PETR. LVCHTMANS, Leidenſi. Lugd. Bat. 1758. 4. plag 11. tab. aen. 3.

Etſi multa inſunt in libello hoc, magna ſedulitate accuratioque confecto, quae vix patiuntur, ut ſub uno quaſi adſpectu ratione et diſtributione ponerentur, ab utilitate tamen non ſumus arbitrati alienum, ea in primis tradere, quae vel ad ſummam rei pertinent, vel ob nouitatem rerum mirifice oblectantium notatu digna videntur. Duabus autem partibus continetur, quarum prima de ſaporibus, altera de guſtus inſtrumentis atque ſenſatione ipſa exponit. Per ſaporem intelligunt vel ideam aliquam, vel facultatem plurimarum rerum corporearum, qua praeditae ſunt ad ſaporum ideas
p. 4. excitandas. Hac altera poſita ſignificatione vocis, ſaporem definit BOYLEVS ſic, ut ſit qualitas illa corporum, vi cuius ea, quam guſtando percipimus ſenſationem, produci poteſt. Cum permultae res

occur-

occurrant, quarum ſapor habet inter ſe affinitatem aliquam maiorem minoremue. exorta ſunt varia rerum ſapidarum genera. Nulla tamen de ſaporibus diuiſio tam ampla eſt, quam ea, qua ſapores omnes in ſimplices et in compoſitos diſtribuuntur. De numero ſimplicium inter omnes non conſtat, aliter ARISTOTELES, aliter THEOPHRASTVS, PLINIVS aliter ſapores enumerabant. Multi recentioris aeui praeter inſipidum octo eſſe ſaporum genera ſibi perſuaſerunt; cum alii pauciora, ut CLERICVS, alii ſatis multa admodum ſubtiliter de- p. 5.
fenderent ut GREWIVS, qui in puluiſculum potius res ſuas ita diuiſit, ut recte quaerere poteris, cuinam bono? Verum Cl. Auctor mediam, plerumque optimam, ſibi elegit viam, atque uniuerſos ſapores ſimplices commode diuidi poſſe arbitratur in acres, amaros, ſalſos, auſteros, acerbos, acidos, dulces, unctuoſos, vinoſos, alkalinos, et inſipidos.

Cum iam tot ſapores diuerſi ſint, inueſtigan- p. 6.
dum eſt, quidnam illud ſit in rebus ſapidis, a quibus tantae ſenſationum varietates pendeant. Magna eſt philoſophorum diſſenſio. BELLINVS ſententias omnes, valde inter ſe diſcrepantes, in duas contrahit claſſes. Prima continet illorum, qui ſaporem eſſe dicant qualitatem aliquam rerum compoſitarum ex elementorum miſtione reſultantem. Hanc ab ARISTOTELE excogitatam ſententiam tam auide amplexi ſunt ferme omnes, qui ab eius parte ſteterunt, ut in terreo quodam principio cum calido coniuncto, tanquam mouendarum particularum cauſſa, veram ſaporis originem quaererent.

At quam erronea falſaque ſit haec efficiendi ſa- p. 8.
poris cauſa docet Cl. Auctor nec feliciori ingenio alii, qui cum animaduerterent, magnis difficultatibus, quam modo vituperauimus, opinionem eſſe inuolutam, de ſapore dicerent, aptam arctiſſimamque

eſſe inter ideas et obiectas res ſimilitudinem, quae ſententia, tam longo a veritate diſtat interuallo, tamque abſurda eſt, ut facili modo eam reuellere
p. 10. poteris. Sequitur altera claſſis philoſophorum, qui omnes ſapidarum rerum cauſas vel a ſola figura, vel quod magis placet, a figura, magnitudine, particularum motu cet. ducant. Doctrina haec de ſaporibus primo adſpectu ob facilitatem ſimplicitatemque ſe ita commendat, ut eam valde probabilem eſſe dixeris. Profecto probabilis eſt, et aſſenſu digna, ſi eam, quam primum in mente figuraſti, rationem et modum experientia duce ſenſuumque ope
p. 12. confirmes et quaſi demonſtres. Quod hactenus quidem factum a nemine eſt, niſi a BELLINI, quamquam pauca admodum ſunt, quae tentauit. Quare Auctor corpora quaedam explorare coepit, et in ſingulis ſaporum generibus tentamina inſtituit. Sed primum definiendum eſt, quidnam illud potiſſimum ſit in ſapidis, ad quod attendere animo quis oporteat, utrum ad ſalia tantum, an ad alias quoque res. Chemici vi ignis uniuerſa corpora reſolui tradunt in quatuor principia, phlegma, ſal, phlogiſticon, terram, quae inſipida deprehenderent, et unicum ſalem ſupereſſe, qui linguae applicatus, guſtus ſenſationem afficeret. Verum praeter quatuor illa principia, veteres Alchimiſtae inuenerunt aliquod quintum, quod ob maximam ſubtilitatem, efficaciſſimamque volatilitatem ſpiritum rectorum vocarunt, quo corpus ab omnibus aliis diſtinguatur et in quo concentratum ſit illud, quod guſtu ac olfactu percipiatur. In omnibus non aequo volatilis, in aliis leuiori etiam calore auolat et olfactui potius obiectum praebere videtur, in aliis autem multo conſtantior eſt et particulis pertinacius inhaeret, quo caſu guſtum potius excitat. Ex dictis patet ſpiritum hunc rectorem in primis eſſe, cuius in declarandis ſaporum cauſis habenda ſit ratio;

ratio; sed ob immensam eius subtilitatem in ulteriori examine opera omnis perditur. Itaque sola superstant salia, quorum examen instituendum est. Hoc animo Auctor singulas saporum classes, ea, qua opus erat, cautione ac circumspectione in contemplandis rebus physicis percurrit, ex quouis genere plura explorauit elegitque tales res, in quibus sapores manifestiores exquisitioresque essent, singula examinauit integra, reliqua autem, ut examini adaptaret, in aqua soluit pluuiatili destillata, omnis saporis experte, ex his guttulis aliquot vitreis impositi lamellis, quae facillime ante microscopium poni poterant, nonnullas, si opus erat, spontaneae reliquit euaporationi, alias variis expositas ignis gradibus, dein microscopio subiecit. Quae vidit, fideliter annotauit et summa cum cura delineauit. Saepe etiam, priusquam detectae res in aere discerentur, ipsi monstrauit artifici. Comitem et ducem hac in re laudat Cl. MVSSCHENBROEKIVM amiculum suum. Duplici microscopiorum usus genere, quorum alterum ex mente WILSONI anglici conditum erat et adaptatum habebat speculum concauum reflectens; alterum, quod tribus instructum erat lentibus, quale primus parauit IOH. CVR. Saepe quidem, quodnam potissimum microscopium in examine instituendo adhibuit, accurate commemorat, sed non semper.

p. 14.

p. 15.

Verum ad ea, quae obseruata sunt, veniamus, quam operae pretium est, cognoscere sapidarum rerum naturam indolemque. Ad acria quod attinet, quorum ab examine Cl. Auctor incepit, ex eis examinanda selegit euphorbium, piper rotundum, cubebas, nicotianam, pyrethrum, cantharides, arsenicum album, mercurium sublimatum corrosiuum. Atque inuenit, quae alii super hac re asseuerint, ab eo, quod experientia docet, valde differre, nec WILLISIO esse fidem habendam, qui,

p. 20.

cum de ſaporibus diſputaret, acredinis cauſam
la particularum figura, perperam tamen,
ret, nam teretes eas eſſe atque aculeatas
tione, ut urticarum aculei, ſomniauit. At
arſenicum nullum ſapidum acre inueniri
cuius particulae eiusmodi aculeis obſitae
p. 21. Eſt quidem particularum quaedam conuenien
in pipere, cubebis, nicotiana, pyrethro,
nico, in quibus adſpectabiles erant partes
lares, quadratae, parallelogrammae, oblongae
quibusdam quoque teretes, ſed in harum
larum ſola figura acredinis cauſa profecto
haud poterit; opus eſt aliis, nimirum ſalium
cretione cum aliis particulis, earumque
dine, rigiditate. Saepe a motu praecipue
petenda eſt, ſic in pyrethri infuſo aqueo nullus
ſeruatus eſt motus, nec mirum, debilis
erat acredo, ſed in infuſo ſpirituoſo non item,
pe ita vehemens motus, ut armato oculo
iucunditate videretur, intenſior etiam acredo
penetrantior. Denique ad grauitatem ac
tem quandoque attendendum eſt, nam ut
res res profundius penetrant, ita et acredines
gis augent, veluti res, ad minerale regnum
nentes, arſenicum, mercurius ſublimatus et
nus aliae. Haec de acribus.

Ex amararum rerum claſſe examinauit
benedictum, abſynthium, colocynthidem,
p. 25. opium, bilem, lunae cryſtallos. Ob
particulis ſalinis figurae inconſtantiam, vix
erat colligendum; nam globuli conſpicui
ſed valde ſubtiles, et particulae ſalinae cum
ſie copulatae, ut ſingularis earum figura
nequeat; quae figurarum inconſtantia etiam
liquis rebus deprehenſa fuit; in pluribus
bus amaris diuerſae apparebant partes; hinc
omni dubitatione, qui illis proprius ineſt

mandus est. Recens infusio aquea cardui bene-
dicti particulas monstrabat longas, tenues, saepe
geminatas, post triduum numero minores conspi-
ciebantur, sed quam plurimum quadratae, pyrami-
dales. In absynthio pleraeque particulae ventri-
cosae erant conspicuae utrinque in acutiorem desi-
nentes angulum. Crystalli lunae regulares nullas,
at plurimi sales, induebant formas, sed diuersimo-
de hastarum quasi forma excutiebantur. Ergo ama-
ris unica figura tribui vix potest, ut idem WILLI-
SIVS et alii paullulum subtilius statuerunt. Ad sal- p. 27.
sa quod attinet, ex hac classe pauca tantum, quum
plura ad manus non essent, Cl. Auctor examinare
potuit; quae vero examini subiecit, haec sunt: sal
marinus, sal gemmae, nitrum. Salis marini, fos- p. 29.
silis et fontani figurae quidem conueniunt, similes
etiam in nitro inueniuntur, in quo leuior quoque
fulcro detegitur; nondum tamen certo constat,
num illae pro veris nitri crystallis habendae sint,
an vero intermixto debeantur sali communi. Plura
ergo hic, priusquam certi quid statui posset, insti-
tuenda forent tentamina. Verum an in salsis rebus
partes magis angulatae, ac in acribus amarisque
sint, quae WILLISIO arridet sententia, non ita ve-
rum est, ut non possis dubitare, certe ex obserua-
tis nihil patet.

Ex austeris rebus selegit, flores balaustiorum,
galla, corticem tamarisci, folia theae, alumen,
vitriolum ferri et cupri; quae in his adstringenti- p. 32.
tas tentauit, paruo quidem successu fuerunt, hoc
tamen obseruatu dignum videbatur, quod in alumi-
ne et vitriolo ferri partes quaedam inueniantur fi-
guram valde similes, in singulis enim crystalli octohe-
dricae. Ex vegitabili tamen regno, quae considerata
sint oculis, cum partes ita tenues et subtiles fue-
rint, ut in adspectum haud venirent, nihil de par-
ticularum figura asserere licuit. Nec feliciori suc- p. 33.

ceſſu acerbarum rerum examen inſtitutum eſt; particulae, ex quibus conſtabant, inſignis admodum erant tenuitatis. Sumpſit quidem, immatura pyra, poma, mala armeniaca et cydonia, ſed in cuiusque hisce nihil ferme ſingulare obſeruauit; in omnibus tamen ingentem minimarum ſphaerularum vim copiam, nec non particulas quasdam inordinate poſitas, quibus tamen definita aliqua figura adhiberi vix poterat. Acidarum vero rerum magna de tecta fuit affinitas.

In acidis vegetabilibus conſpicuae erant particulae ſalinae ventricoſae, plerumque ex utraque parte acutae, ut in ſucco citri, in infuſo tamarindorum, in vini aceto et cereuiſiae. Adeſſent tamen et aliae inter ſe figura diſcrepantes.

In acidis quoque foſſilibus quaedam figurae conuenientia obtinere videbatur, ita tamen, ut ab iis, quae in vegetabilibus cernerentur, quodammodo differrent, quippe, quae obtuſiori angulo apparerent, cum ex vegetabilibus partes gauderent acutiori forma. Quae rerum apparentia quemque in admirationem rapiet, cum ſatis conſtet, multo intenſiorem eſſe in foſſilibus aciditatem, ſed minime deſinet, ſi praeter figuram partium, earum magnitudinem, motum, denſitatem, rigiditatem aliasque cauſas in auxilium vocauerit.

p. 37. Ad claſſem dulcium, quae pertinent, examinauit ſaccharum, mannam, caſſiam, mel, ſaccharum
p. 39. ſaturni; ex paucis hisce, quae inſtituit tentamina, de nihil ferme, quod legitima conſecutione deduci videtur, colligi potuit. In caſſia et melle fere nihil vidit. In aliis dulcium rebus cryſtallorum figura notabiliter differrebant. Saccharum ſapore quidem conuenit cum manna, cryſtalli tamen mirum in modum diuerſiſſimae. Ergo particularum ſola figura dulcedinem non conficit, magna tamen affinitas inter mannae particulas et ſaccchari ſaturni detecta fuit,

fuit, quare dubitari posset, utrum salium figura penitus foret excludenda.

Vnctuosarum rerum sequentes examinatae sunt: terebinthina veneta, oleum oliuarum, oleum liui raparum, amygdalarum dulcium, caryophyllorum aromaticorum, pinguedo vitulina, sperma ceti, petroleum, pleraeque in unctuosis particulae p. 41. sphaericae apparebant; tenaces has oleosas esse partes, facile experientia duce cognoscitur, ita enim libenter cum corporibus, tum sibi ipsae adhaerent, ut difficulter ab inuicem possint separari. Si iam hanc particularum figuram consideremus et tenacitatem, qua tarde admodum mouentur, nec non minorem plerorumque unctuosorum densitatem, quia pleraque aqua leuiora sunt, intelligitur, saporem, a simplicibus unctuosis excitatum, obscuriorem esse debere; in eis, quae explorata sunt, manifestus quidem aderat sapor, verum non ab ipso oleo, sed intermixtis aliis pendebat. Itaque unctuosus sapor medius quasi inter insipidum et dulcem, quamuis alterius sit generis.

Saporem alcalicum explorauit in sale absynthii, p. 42. sale cardui benedicti, oleo tartari per deliquium, linnio cinerum clauellatorum, nitri fixi liquore. Ex tentaminibus, quae instituerat, concludit, so- p. 44. lum singulari excitando sapori imparem esse particularum figuram; vix ulla enim poterat obseruari figurarum conuenientia in particulis. Videntur salia haec alkalina fixa longe rigidissima et fortissima, quippe ignis actioni resistunt et quod magis est, semper acriora redduntur. In hisce praeterea obtinere videtur ingens motus et attractio, quia ori ingesta vehementer agitantur, gustumque accerrimum excitant, atque in aere posita, semper fere deliquescunt.

In vinoso saporis genere pauciſſima instituit tentamina, quum mox videret, quam parum fidei illis

habendum foret; quare laudat LEEUWENHOEKIVM, qui, cum qualiacunque vina obſeruaret, inuenerit, quod omnibus magna figurarum ventricoſarum copia ineſſet, utrinque acuminatarum, deinde cryſtallos ſalinas quoque detexerit, quae ad ſingulorum proprium ſaporem producendum conferre
p. 45. videantur. Sed tenendum eſt, quod ſola ſalium figura, niſi ad motum, aliasque partes, quibus immixta ſint, attendas, tantantopere in vinis diſcrepantium ſaporum vera cauſa eſſe haud poſſit.

Superſunt inſipida, quae vel nullum plane ſaporem excitant, vel ſaltem vix ſenſibilem ſaporis perceptionem. Huius rei vero ratio varia eſſe poſſit, v. g. ſi particulae nimis magnae ſint, vel ſalium vix ſolubiles, vel paruo cientur motu, vel tali figura, ut guſtus inſtrumenta haud valide afficiant, vel pau-
p. 46. ua adſint copia, et largiori innatent vehiculo. Harum inſipidarum rerum unicum tantum albumen oui gallinacei recens, crudumque explorauit, et inuenit ſphaerulas aliquot maiores et alias innumeras tenuiſſimas, quae ad ſphaericam figuram videntur accedere.

Iam his traditis ſummatim ſaporum ſimplicium tentaminibus, dicendum eſt, quae ex eis in vniuerſum colligi poſſint. Non omnino excludendum eſſe ſalium figuram, ex dictis quodammodo percipitur, certe tamen falluntur, qui omnem ſaporum vim atque diſcrepantiam a figura eorum pendere ſibi perſuadeant. Sunt enim ſapida, quae ſimilem quidem producant ſenſationem, ſed figura valde diſſimiles v. c. in amaris carduus benedictus, abſynthium, bilis cet. deinde occurrunt alia, quorum particulae non ita aptae videntur, ut tam vehementem et intenſum efficerent ſaporem. Denique obſeruantur particulae ſalinae eiusdem ad amuſſim figurae, quanquam corpora ex his conſtantia, ſi guſtando exploraueris, diuerſi ſint ſaporis. Ergo in

inuestigandis saporum caussis ad plures simul attendamus necesse est. Eiusmodi sunt variae particularum rigiditates, magnitudo, salium densitas siue varia grauitas specifica, motuum gradus, attractio, diuersa partium salinarum, et natura earum rerum, quibus connexa sunt.

Sapores simplices diuersa ratione mutantur, p. 50.
componuntur, destruuntur. quo pacto immensa oritur saporum varietas, nam plurima sapida vel sibi commissa, ut fructus horaei, vel operationibus chemicis subiecta, v. g. spiritus acido austerus ingratissimus ex saccharo, vel simpliciter aliis admixtae innumerabiles subeunt saporum mutationes. Quare, ut ex simplici saporum mistura eo melius cognosceret Cl. Auctor, quot quantus sit compositorum saporum numerus, ex quibusdam simplicium classibus unum pluraue sumsit corpora eaque vel cum aqua pluuiatili destillata vel cum spir. vini gallici infudit. Atque his solutis rebus sapida adiecit in primis salina, dein gustauit, ea, qua opus erat, cautione. Hac lege tentamina instituit super pyrethro, carduo benedicto, absynthio, floribus balaustiorum, fructu tamarindorum, et manna calabrina. Ex pluribus inter se comparatis genera- p. 56.
les quasdam leges praeceptionesque condere facile quis posset, quae, cum arti medicae, tum gulae suauiter afficiendae utilitatem aliquam sint allaturae. Haec generatim de rebus sapidis.

Altera pars libelli huius de gustus instrumentis p. 57.
est atque sensatione. Gustatus ore continetur. Vtrum soli linguae cibi et potionis iudicium sit, an aliae etiam oris partes res sapidas dignoscere valeant, de eo inter omnes non satis conuenit. Sunt, qui soli linguae percipiendi saporis facultatem tribuant, quarum facile principes BOERHAAVIVS et HALLERVS; cum alii, gustum non modo lin-

guae, ſed aliis oris interni partibus competere affu-
p. 58. ment, quam alteram ſententiam tanquam naturae et arte probatam Cl. Auctor ipſe amplexus eſt, eam-que multis rationibus confirmauit. Infuſum aqueum abſynthii vulgaris ſumpſit tepidum poſt inedian aliquot horarum, lingua ſpatulae ope argentea depreſſa, atque penicillum, hoc infuſo imbutum, admouit palato, gurgiti, tonſillis, buccis, labiis. Ex quibus rite inſtitutis tentaminibus, ſenſit, non ſolam eſſe guſtus inſtrumentum linguam, quippe in
p. 59. aliis, quas modo diximus, partibus percipi potuit euidens ſaporis ſenſus. Accedit et hoc, quod aegre ingeſtorum ſapores rite diſtinguere potuerint, nam eſt, quod mireris, quia, quae in partibus percipiendi guſtus praecipuae ſunt, in aliis quoque oris partibus papillae reperiuntur. Quae dicta ſunt cum iis, quae in ſacris litteris de guſtu leguntur, mirum in modum conſentiunt, quippe in omnibus ferme locis, paucis exceptis, palato guſtus tribuitur. Largiendum tamen eſt, linguam longe praecipuum eſſe guſtandi inſtrumentum.

p. 60. Anatomice nunc diſquirit Cl. Auctor linguam ſingulasque eius partes, fabricam earum, uſumque ſatis copioſe et magna cura deſcribit. Quo facto deinde quaeſtio mouetur, in quanam potius parte guſtus ſedem ſuam habeat? Variae quidem et tam diuerſae ſunt doctorum hominum ſententiae, ſed profecto nulla tam firmis nititur argumentis, quam quae papillas eſſe ſolas guſtandi inſtrumenta, affirmet. At cum papillae iſtae non modo figura, ſed magnitudine etiam valde diſcrepent, inſitne omnibus ſingulisque eadem percipiendi ſaporis vis, recte quaeritur. Eſt certe inter illas diſcrimen aliquod, quale ſit, docet Cl. Auctor §. 30. His explicatis totam oris interni cauitatem deſcribit §. 31. 32. quodque in primis labiis, buccis, velo palatino, aliisque tenuiſſimae prominentes partes, denſiſſima

ſerie

ſerie ſibi iunctae inuenirentur, quae papillaris in- p. 76.
uolis eſſent, copioſe tradit, denique quot, qualesque ſint glandulae a natura ſoluendi diluendi, manducandi etc. cauſa datae paucis oſtendit. Verum quidnam illud eſt, quod potiſſimum lingua percipimus? lingua diſtinguimus corporum qualites; hoc parum eſt; lingua ciborum, potionumque qualitates diiudicamus, his tamen adiunctionibus, ſi corpora exploranda ſalem contineant, ſi vehiculo quodam ſoluta ingerantur et poſt ingeſtionem factam in ore ſoluantur, ſi ingeſta diutius in ore retineantur, ſi ſapidae res ad ipſas penetrent papillas. Hac lege liquores ingeſti ſapidi ut et ſaliua particulis ſapidis impraegnata ad nudas deducuntur papillas neruosque, in his diſpoſitos afficiunt, in motus cient et pro varia ſua indole diuerſam producent ſenſationem, quae cum mente noſtra communicata ſaporis ideam producit. Hoc quanam fat ratione ignoramus, nec mirum, cum ignoremus naturam corporis et animae, ſuperſunt quaeſtiones, quae cum intelligi ſatis ex ante dictis poſſint, a Cl. Auctore propoſitae ſunt et ſolutae eo, quo pollet, iudicii acumine.

XIII.

XIII.

IOHANN FRIEDRICH GLASERS, *Med. Doct. und adiungirten Stadt- und Amts-Phyſici zu Suhl, Beſchreibung ſeiner neuerfundenen Blutwaage und Blutmeßgeſchirrs: womit man beym Hand- und Fußader-laſſen das Blut, ob es ſchon unter das dabey gebräuchliche Waſſer läuft, dennoch ſo bald von Loth zu Loth richtig und ſehr nützlich wägen und meſſen, auch ſonſt durch einen angewieſenen Vortheil unter dem Waſſer abgeſondert allein auffangen kann. Hildburghauſen, verlegts Ioh. Gottfr. Haniſch.* 1758. 8. 15 pl. prooem. 5 pl. tab. aen. 1.

h. e.

IOANNIS FRIDERICI GLASERI deſcriptio ſe inuentae ſtaterae et vaſis, ad ponderandam menſurandamque ſanguinis, ſub ipſo, poſt venae inciſionem, effluxu, quantitatem idoneae, nec non alius inſtrumenti, cuius ope in ipſa venaeſectione vel in manu, vel in pede inſtituta ſanguis, etiamſi aquae, quam adhibere ſolent, ſe immiſceat, accurate menſurari et praeterea etiam ille, ſub aqua ſeparatus, ſeruari poteſt.

Et medico et chirurgo varia circa venaeſectionem ſuboriri ſolent dubia, quae huc uſque ſoluere vix quisquam, quae tamen multum ad exiſtimationem utriuſque faciunt, magnique omnino ſunt momenti ad medelam aegrotorum. Ex his duo diſquirenda et, quoad fieri poſſit, dirimenda ſibi ſumſit Auctor. Alterum ſpectat ad medicum conſiliis, alterum ad chirurgum manu medentem. Scilicet quaeritur, ad quamnam normam iuſta et conue-

niens

miens cruoris ex venis emittendi possit definiri copia et quo modo quibusque auxiliis nunc sanguis in ipsa operatione ad definitam quantitatem queat educi. Argumenta sunt tam difficilis solutionis, quam ad medicinam clinicam utilia et necessaria, quae quomodo Cl. Auctor extricauerit nunc indicabimus libelli ordinem secuturi.

Praefationem libello praemisit, in qua primarias causas contemtus in artem medicam, et cur haec prae caeteris artibus scientiisque maximam eorum hominum experiatur copiam, qui artem contra ius fasque exercent, conquirit. Primariam, ut alias praetergrediamur, in eo esse positam credit Noster, quod medici a magistratus honoribus essent excluſi, adeoque potestate destituantur, si in rebus, quae ad artem medicam et medicos ipsos pertinent, iniusti quid atque illiciti contigat, seuerius puniendi ulciscendique, cum iuris periti, quibus rerum publicarum regimen conferri, et theologi, qui proprium et singularem non raro senatus ordinem efficere solent, de aliena re quasi minus solliciti, et de praestantia artis medicae non persuasi medicastrosque ipsi in auxilium vocantes, quicquid in re publica contra medici auctoritatem et in artis dispendium committatur, vel impune transire sinant, vel leuius tantum puniant, acriori e contrario eos afficientes poena, qui in suam, quam ipsi profitentur, scientiam, opprobrii quid agant.

Ab initio ipsius libelli Auctor disquirit necessitatem venaesectionis, quam tamen uniuersalem non esse debere, licet per se pateat, ex variis tamen, animo fictis, vitae generibus, quae apte et breui- p. 5.
ter depingit, clarius luculentiusque ostendit. Postea varia adducit argumenta, quibus innixi et veteres et recentiores medici sanguinis emittendi quantitatem definiuerunt, quae vero ita comparata sunt, ut vel sine aegrotorum detrimento non admitti,

admitti, vel nimis generaliori ſenſu ſumta, omnibus morbis omnibusque hominibus ſatisfacere non
p. 39. poſſint. Veteres venaeſectionem ad lipothimiam uſque praecipiebant. Sed quanta inde exſurgere poſſent incommoda. Multi prius omni liquido exhaurirentur, quam animus illos linqueret, cum ſi e contrario, vena vix aperta, mox animi patientes deliquium. Recentiorum non nulli, praeprimis Galli, una vice paruam quantitatem effluere et, ſperatum ſi eo nondum obtingant effectum, eandem altera, tertia, imo pluribus vicibus emittunt uſque dum per venaeſectionem eueniat id, quod in animo habuerant. Rem acu hi tetigiſſe videntur, ſed in numera incidunt tempora, in quibus, prudens hoc viſum conſilium non ſufficit, cum interdum, ſi in ſaluo aegrum ſeruare velis, uno temporis momento larga inſtituatur, neceſſe eſt venaeſectio, quae in aliquot horas dilata, aegrotus morti forte detur. Alii ab unciis duabus ad duodecim uſque aſcendunt, a quorum utrorumque partibus Auctor ſtare videtur, licet bene moneat, habitum aegroti, aetatem, viuendi genus et morbum ſimul in cenſum eſſe vocandum, ex quibus omnibus probe inter ſe collatis demum copiam determinare, et pro ratione morbi interdum multo longius in indicato numero progredi conueniat. Nec aliquot libras non nunquam emittere dubitat. IOANNES
p. 46. WHITE copiam ex differentia ponderis totius corporis et ex- et ſecretionum, GVIL. COCKBVRN ex comparatione hominis ſani et aegroti, pulſuum, caloris interni, ope thermometri inquirendi, determinarunt, quam, COCKBVRNII, ſententiam re-
p. 50. coxit LAVATTERVS in diſſertatione: *de rite determinanda quantitate ſanguinis ſub venaeſectione emittendi*, ſub praeſidio Cl. BÜCHNERI, Halae habita et illam ex pulſu molli, ſub ipſo ſanguinis effluxu demum oriundo, et tranſpiratione aucta, per ſudorem cir-

nares

nares obſeruanda, diiudicandam eſſe cenſet. Sed cum cuiuslibet regula in paucis modo exemplis applicari liceat, rationem Cl. Auctor habere videtur, cur ab iis diſſentiat, quam multis argumentis ſuffultam copioſe recenſet. Alii alias, aeque ac priores, dubias, nec ſufficientes, quid? quod falſas ſibi ponunt regulas, itidem ab Auctore vel penitus reiectas, vel parui habitas, e. g. credunt non nulli, p. 60.
ſatis effluxiſſe ſanguinis, ſi ille, e vena emiſſus, et in aqua agitatus, fibroſus apparet; ſi ater primum e vena proſiliens nunc grate ruber prouenire videtur; ſi eius copia ex temporis ſpatio, ope horologii dimetiendo aeſtimatur ita, ut eodem temporis momento eandem ſanguinis quantitatem credatur eſſe effluxuram, etc.

Magis, ſi id morbi ratio permittit, nec neceſſitas unicam tantum largamque poſcit ſanguinis miſſionem, arridet Auctori, licet non, ut ſupra dictum fuit, perfecte, modus, quo ſanguinis copia non una, ſed reiteratis vicibus emittitur ſic, ut poſt quamlibet emiſſionem effectus, utrum exoptati eueniant, nec ne, expectentur. Cum vero et ſic multis laboret difficultatibus nec omnibus, qui contingere poſſunt, caſibus reſpondeat, alium quidem praeſtantioremque ut offerre poſſit, optat Auctor, ingenue tamen meliorem ipſe, licet multum ea de re meditatus, ſe ignorare fatetur. Viam tamen pandere ſtudet, in qua forte ad optatum hac in re incipiti certitudinis ſcopum olim peruenire, licitum fuerit. Suadet nimirum, ut SANCTORII ars p. 69.
denuo in uſum reuocetur, corporumque, tum viuorum, cum mortuorum, pondus ſaepius ſtatera exploretur, deinde a medico, examina haec inſtituente, tabula quaedam conficiatur, in quam ea, quae obſeruauerit, reponat, eaque inter ſe inuicem conferat. Neutiquam tamen ſufficit pondera tantum in illa indicaſſe, exigitur quoque ut tabulae

iſti

iſti addatur cuiuslibet, ſtatera explorati, ſtatura, liquus externus habitus, vitae genus, aetas, valetudo; deinde probe attendat medicus, quis effectus in hoc vel illo, ex hac tabula defumto corpore poſt certam quandam ſanguinis emiſſi copiam ſint ſecuti; hos itidem in tabulam iſtam conſiciat; ex copia denique eiusmodi obſeruationum poterit claſſes conſtituere, hominesque ſub eas reponere et definire, quibus haec vel illa ſanguinis copia, ut in morbo hoc vel illo aut praecauendo aut profligando emittatur, conducat. Ponderis corporum haec per ſtateram exploratio innumeris abundaret in commodum aliarum artis noſtrae diſciplinarum uſibus: ſic, ut quidam ex iis, praeter eos, quos SANCTORIVS iam oſtenderat, profiterantur, reperire liceret vel ex decreſcente, vel ex aucto corporis pondere, quanta per venaeſectionem emiſſa ſit ſanguinis copia; quantum infantibus ſit augmentum; quomodo ſub variis anni temperamentibus corporis pondus imminuatur augeatur; quantum phthiſicus et hydropicus quotidie, vel per hebdomadem amittat vel recipiat, quanto foetus in utero materno increſcat augmento; quantum per corpore per ſudores vel haemorrhagias critice prouenientes deperditum ſit; quantum lactis infans matris mammis vel una vice vel per diem exſugat; quomodo ieiunium ſimulatum detegi poſſit, et cetera alia, quae in uſum artis medicae cedere poſſint.

p. 76.

Sed cum Auctor ipſe, datum a paucis ita acceptum iri conſilium credit, ut illud ſunt ſecuturi omnes dici, monet, ut certe ſanguinis, per venaeſectionem emiſſi, copiam in poſterum magis attendant illamque menſura aut eius pondus ſtatera explorent, ex his deinde cum ſecutis phaenomenis collatis argumenta deducant firma. Sanguis vero ut plurimum non libere effluere ſolet, niſi membrum, in quo

quo vena ſecta fuit, aquae immittatur tepidae, fieri igitur non poteſt, ut ſanguis in lancem recipi queat. Cl. Auctori ideo iam dudum in mentem venerat, p. 93.
vas aliquod conſtruere, in quo vel ex adſcenſu fluidorum ad latera eius, vel per effluxum ex oſtio quodam eiusedm, cui cannula affixa eſſet, copia ſanguinis, e vena egreſſi, et cum aqua, iam antea ſumma cura ad menſuram et aequilibrium redacta, commixti menſurari poſſet. Omnia tamen hunc in finem inſtituta experimenta fuerant irrita, nec licuerat Ipſi modum quendam reperire, quo in menſuranda quantitate ad certitudinem quandam peruenire poſſet; aliam igitur ingreſſus eſt viam et ſanguinis copiam pondere explorare ſuſcepit. Hac via feliciori progreſſus eſt pede et tam felici Ipſi eſſe contigit, ut ſtateram ad hunc uſum omnino aptam inueniret.

Eſt ea vero ſtatera ſic dicta romana, cuius bra- p. 99.
chia vel ſcapi inaequalis ſunt longitudinis, quorum longior lineis transuerſis ſiue notis diſtinctus eſt, quae indicant pondus, ſi aequipondium, per ſcapum vagans, iis inſederit; ex breuiori vero, medientibus anſa et unco catenisque duabus dependet vas quoddam, in ipſa venaeſectionis operatione aqua replendum. Scapi hi praeterea, quo ſpatii habeatur ratio et ſine moleſtiis inque compendio quaſi portari queat ſtatera, ita ſunt conſtructi, ut in aliquot partes dirimi, ſibique inuicem denuo immitti poſſint. Eadem ex cauſa quoque examen mobile eſt, quod ad lineam horizontalem reflecti, adque alterius ſcapi latus applicari, et, ubi in uſum vocatur, uncinuli ope, denuo in ſitu recto firmari poteſt. Aginae crura coniunguntur ſub axi fibula quadam, ex qua catena dependet. Ad hanc catenam verſus inferiora aliae tres catenulae colliguntur, quibus infimo in loco ſcabellum quoddam, in forma plantae pedis ex laminis ferreis ſtanno obdu-

ctis factum, affixum est, quod itidem ope ginglymorum complicari potest. Huic imponitur pes et utrumque immittitur in aquam, quam vas modo descriptum continet, ita tamen, ut nec fundum vasis, nec latera eius attingat. Hac cautione opus est, ne aequilibrium statera, aut per impulsum ad latera, aut per depressionem ad fundum turbetur. Eum in finem quoque alterutri cruri aginae affixus est uncus, quo mediante scapi figi possunt, quando vel per chirurgi operationem, vel alio motu nimis moueretur statera. Ne etiam pes insistens scabello pendulo et libero, aut eius culpa, cui vena aperitur, aut casu in latera impingat, a latere scabelli exit catenula quaedam, qua vel is ipse, cuius vena secatur, vel alius pedem regere et a lateribus vasis arcere potest. Cum tamen hoc scabellum vix unquam adhiberi potest, quin simul, summa licet adhibita cautela, statera in motum librationis nimium cieatur eiusque aequilibrium aliquo certe modo turbetur ponderationique difficultatem creet, aliud scabellum conficiendum curauit, quod iis quidem difficultatibus in ipsa operatione ponderationeque omnino caret, cuius tamen non ubique usus esse potest, propterea quidem, quod amplior et spatiosior eius forma impedit, quo minus id chirurgus ubiuis secum portare possit, licet et hoc incommodum tolli posset, quodsi in eo construendo impensa non parceretur idque ope ginglymorum componeretur. Id vero, quod Auctor describit, absque ginglymis constructum est. Perticae enim ferreae duae ita flectuntur in arcus duos oppositos, ut furcas quasi representent, quarum crura exteriora, interioribus longiora, inferius diuisa in alias minores furcas desinunt, quibus tota machina firmiter insistit; crura vero interiora sibi inuicem connexa et accusa sunt per lineam transuersam, cui, in forma plantae pedis facta lamina quaedam imponitur, pe-

p. 124.

dis

dis in operatione fulcimentum. Machinae vero huius is eſt uſus: ſuperponitur ea vaſi, aqua repleto et a ſcapo breuiore ſtaterae pendenti ita, ut crura utriuſque arcus interiora aquae, in vaſe contentae, immergantur et tamen, nec fundum, nec latera attingant, exteriora vero extra vas ſint poſita. Quo maiores ergo arcus, eo maius vaſis librationi, ad accuratam et exquiſitam ponderationem neceſſariae, relinquitur ſpatium; quoinde huius ſcabelli praeſtantia prae altero facile perſpicitur. Pondera etiam varia ad hanc ſtateram requiruntur, alia, quae libras pondo aequant, quibus aequipondium aquae, in vaſe contentae, inuenitur, et alia ſemuncialia, quae copiae ſanguinis emiſſi indices ſunt. Cum Cl. Auctor ſtateram hanc ponderationi aliarum quoque rerum domeſticarum accomodare ſtuduit, alia modo dictis ponderibus, addenda ipſi fuerunt, quibus, ut et aliis rebus, quae rerum ciuilium ponderandarum ergo, ſtaterae additae fuere, is, qui primario huius ſtaterae uſu, ponderatione puta ſanguinis, contentus eſt, omnino carere poteſt Haec pondera ſat copioſe deſcribit Auctor et neceſſaria, quae obſeruanda in iis ſunt, momenta ſubnectit, quae vero a nobis contrahi breuiterque enarrari non patiuntur. Nunc modum, quo haec ſtatera in uſum p. 132.
vocatur exponit Auctor, quem, cum eius praecipua momenta in ipſa ſtaterae deſcriptione iam dederimus, reliqua vero vel per ſe pateant, vel facillimo negotio reperiri poſſint, recenſere itidem ſuperuacaneum eſſe credimus.

Tota haec, quam poſſidet Cl. Auctor et quam p. 164
deſcripſimus breuiter, ſtatera cum ſcabello pendulo et ponderibus cunctis vix excedit quinquelibrale pondus, et ſi demis de illa utramque librae lancem et nouem pondera, quae tantum ad ponderationem rerum ciuilium requiruntur, imminuitur grauitas ſtaterae ad tres libras et ſemiſſem.

p. 168. Cum in conſtruenda et perficienda ſtatera modo deſcripta occupatus erat, Cl. Auctor litteris oTINGERI poliatri *Vracenſis* excitatus conſilium cepit, denuo eundem laborem, quem tunc temporis, cum primum ſuſceperat, nec ille ex voto ceſſerat, iam ſemel abiecerat, repetendi et inquirendi, num fieri poſſet, ut vas quoddam conficiatur, cuius ope ſanguis ſub ipſa emiſſione exacte et ſine magna vera menſura aberratione menſurari poſſet. Nec nunc in irritum cecidit eius labor, quippe peluim quandam ex cupro conficiendam curauit inſiſtentem tribus pedibus, qui ope ginglymorum mobiles ad fundum eius poſſunt reflecti, ne peluis illa extra eius uſum nimis amplum poſcat ſpatium commode usque poſſit portari. Peluis, cuius diameter duodecim, plures pollices aequat, quo profundior, eo aptior eſt uſui deſtinato; ſic pes vel leuiter tantum, vel, ubi ſanguis libere effluere renuens id poſcat, profundius aquae immergi poteſt. Ad minimum altitudo eius ſit quinque pollicum. Ad fundum latere apertura eſt, qui immittitur tubulus quidam incuruus et mobilis ſine epiſtomio, ex quo abundans in pelui contentum fluidum effluit eadem ratione, ac eius copia creſcit. Tubulus, ſurſum deorſumque moueri poteſt, ut eius apertura et ſuperficies aquae in pelui contentae in eodem conſiſtui poſſit plano horizontali; non enim ad quamlibet venaeſectionem una eademque requiritur aquae quantitas, adeoque ſuperficies eius admodum diuerſa tubuli mox depreſſionem mox elationem requirit. Si nunc aequilibrium ſuperficiei inuentum eſt, epitonio tubulus firmatur. Maximam in primo tentamine, quod absque ſperato euentu Cl. Auctor inſtituerat, difficultatem in eo poſitam inuenerat, quod aqua, licet ſuperficies eius cum margine vaſis ſummo perfecte aequale horizontale efficiat planum, nihilo tamen minus, etſi noua affun-

datur

datur aquae copia, non ſtatim effundatur ſuper marginem, ſed effulta in eum quaſi in medio coaceruari et aſcendere. Quo itaque hoc incommodum tolleret et fluctuationem, a qua nulla aquae ſuperficies ſi vel leniſſime tantum attingitur, libera eſt, impediret, varias inuenit machinulas ex laminis compoſitas, quas cameras dicere poteris. Hae camerae ſuperimponuntur ſuperficiei aquae et firmantur per varios uncos ad latera peluis. Ne tamen omnem obtegant ſuperficiem, ſed in medio tantum relinquant ſpatium, quantum requiritur, ut pes libere in aquam immitti poſſit; nec nimis profunde deſcendant illae in peluim, quod quidem impediri poteſt eo, ſi illarum altitudo non excedat tres pollices. Quodſi nunc haec peluis in uſum vocatur, primum camerae iſtae immittuntur in eam, et arcte ad latera firmantur, deinde infunditur aqua calida, (camerae ſimul impleantur vel vacuae maneant, perinde eſt,) poſtea immittitur pes, quo in aqua calida venae turgeſcant, tum inter aquae ſuperficiem et tubulum conſtituitur aequilibrium et ſub orificium tubuli ponitur cyathus, in quo ſignis et notulis unciae indicantur, quo facto, et ubi venae ſatis turgent, pes ex aqua extrahitur, imponitur cameris modo deſcriptis venaque inciditur, qua inciſa mox in aquam immittitur, quo ſanguis libere effluat, poſtremo attenditur, quantum per tubulum exierit in cyathum. Si tantum effluxit fluidi, quantum ſanguinis emittendi animus fuerat, vena comprimitur ſolitoque modo ligatur.

Sub finem libelli promiſſum perſoluere ſtudet Cl. Auctor, quod in Promtuario Hamburgenſi fecerat. Promiſerat enim deſcriptionem modi alicuius, quo ſanguis in venaeſectione, vel in pede, vel in brachio inſtituta, etſi utrumque in aquam poni neceſſe ſit, ab aqua ſeparatus poſſit ſeruari. Requiritur ad hunc uſum inteſtinum quoddam tenue ex ſue de- p. 213.

ſumtum et a foecibus adhaerenteque viſcido purgatum, cuius alterum orificium praeligatur, alterum vero ſuper machinulam quandam, ex ligno paratam et orificium repraeſentantem tubae quod os applicatur (*Trompeten-Mundſtück*) expanditur et exſiccatur ita, ut margo quidam fiat et in medio orificium maneat. Hoc orificium ſuper hunc marginem, parum latum, alio latiori ex lamella ſiccata veſicae urinariae cingitur et ad alterum emplaſtro tenaci adglutinatur. Inteſtini ſic praeparati applicatio et uſus is eſt: vel inteſtinum recens eſt nec nimis exſiccatum, vel prorſus exſiccatum; hoc in caſu illud praeter marginem, qui quo ſiccior, eo praeſtantior eſt, in aqua tepida vel lacte madefaciendum et emolliendum eſt, quo ſanguini irruenti nullum opponatur obſtaculum, margines vero orificii emplaſtro valde tenaci et adhaerente ſuperducantur. Si vena nunc inciſa eſt, digito ea occluditur, partes adiacentes caute et ſumma cura detерguntur deſiccanturque, mox applicatur margo emplaſtro obductus, circa orificium venae ſectae et digitus, qui illud comprimebat, quam citiſſime retrahitur omnisque margo circumcirca apprimitur et pes vel brachium aequae immittitur; ſic ſanguis e vena proſiliens in inteſtino illo progreditur, praeterquam, quod aquae ſe immiſceat. Si metus eſſet, ne calida aqua emplaſtrum vel marginem, eo obductum, cito ſolueret, et ſuper eum quoque, pedi iam applicatum, nouum emplaſtrum poni poteſt. Optimum ad hunc uſum Cl. Auctor laudat emplaſtrum *ad hernias*.

Multa praeterea ſunt, quae non ſolum in inteſtino hoc, ad hunc uſum praeparando applicandoque, ſed etiam circa praecedentia inuenta, circa ſtateram nimirum, partesque, quae ad eam pertinent, et circa vas, ad menſurandam ſanguinis copiam idoneum, copioſe monet Auctor, quae omni-

no haud exigui sunt momenti, et ad applicationem prosperam quam maxime necessaria, quae tamen nos libenter silentio praeterimus propterea; ne totum ad verba describamus libellum et quod credamus, quemlibet istorum, qui tentamina ista repetere illaque instrumenta sibi comparare vellet, facillimo negotio et per se ad varias cautelas ductum iri, quae vel in construendis iis instrumentis, ut obseruentur, necesse putamus; id tantum, quod ad historiam huius inuenti pertinet, nos adiiciamus: fateram hanc iam anno 1747 Cl. Auctorem inuenisse, descriptionemque et latine et germanice confecisse, eam etiam in lucem publicam edendi consilium cepisse, cum in repentino et funestissimo incendio, quod *Suhlam* anno 1753 vastauerat, ea simul cum ipsis machinis conflagrasset, postea variis negotiis distractum diu de ea ne cogitare quidem potuisse, usque dum variorum suasu laborem hunc repetierit libellumque hunc confecerit.

Si qui essent, qui descriptas machinas sibi comparandi cupidine tenerentur, iis operam suam Auctor offert, et spondet, se esse curaturum, ut eae aptae conficiantur. Cuiuslibet machinae pretium sub finem prooemii adiecit.

XIII.

IOANNIS IACOBI BAIERI monumenta rerum petrificatarum praecipua, Oryctographiae Noricae supplementi loco iungenda, interprete filio FERDINANDO IACOBO BAIERO. Cum tabulis aeneis quindecim. Noribergae, 1757. fol. pl. 5.

et

IOANNIS IACOBI BAIERI oryctographia Norica siue rerum fossilium et ad minerale re-

gnum pertinentium, in territorio Norimbergenſi eiusque vicinia obſeruatarum, ſuccincta deſcriptio. Cum Supplementis 1730 editis. Recuſa Noribergae, 1758. fol. pl. 17. tab. aen. 8.

Prodiit iam anno huius ſeculi octauo b. BAIERI oryctographia Norica, qua Cl. Auctor et ob figurarum adiectarum elegantiam et ob additas ſolidas et pro aeui ſui genio aeſtimandas explicationes et commentariolos magnum lithophylorum plauſum ſibi promeruit. Cum igitur haud ingratam eſſe viderit ſuam operam eruditis, anno trigeſimo prouulgauit indefeſſus hic naturae indagator ſciagraphiam muſei ſui, cui accedebant ſupplementa oryctographiae noricae. Quaeuis haec ſcripta in forma quarta comparuere nitidiſſimis iconibus ornata. Poſterius quoque eorum exſtat typis impreſſum in Act. Acad. Caeſ. Nat. Cur. Vol. II. app. n. IV. p. 65. Super erant multae poſt eius obitum tabulae aeneae, quae quamquam rara ſatis ac rara obiecta lithologica continebant, deficiente tamen figurarum explicatione, multum utilitatis ſuae perdebant. Hoc tamen non obſtante dignus eiusmodi patre filius has tabulas ante quatuor iam luſtra ſculptas publici iuris facere non dubitauit. ſatiusque duxit nomenclatorem agere, quam prorſus ſilere. In ipſa horum ſupplementorum diſpoſitione eundem ſeruare ſtuduit ordinem, quem in oryctographia obſeruauit parens, ut ſeries rerum optime aptae colligataeque cernantur, et ſpecies commode ad ſua genera reuocari queant. Merito conqueritur Cl. Auctor de motis a Cl. ARGENVILLE et DENSO dubiis, quibus euincere ſtuduerunt varia obiecta in parentis ſyntagmate delineata vere non exiſtere, affirmatque in Sereniſſimorum ac illuſtrium quorundam Virorum Phyſiotameis aſſeruari genuina

genuina haec ruderum diluuianorum exempla, quibus veritas contra quamlibet calliditatem possit defendi.

Ipsius tamen operis nunc breuem adumbrationem addere ita, ut, quae in singula tabula occurrant, et quae inter ea sint notatu digniora, recenseamus, operae pretium ducimus. Tab. I. pertinet ad Caput V. Oryctogr. et continet nitidos satis *dendritas* ex episcopatu Aichstadiensi et comitatu Pappenheimensi in marmore albo fissili depictos. Tab. II. ad Caput VI. *Fungos* et *alcyonia* varia passim in aruis circa arcem dirutam Heimburg ditionis Bauaricae reperta offert, ex quibus prae ceteris *Alcyonium reticulatum* fig. 17. expressum sese commendat. Tab. III sistit specimen perfectum cadaueris piscis *Cyprini lati* siue *Bramae* integumentis omnibus adhuc conspicuis. Tab. IV exuuias piscium in marmore albo expressas exhibet. Tab. V eiusdem rei varia nitida habet exempla additis *ichtyospondylorum* quibusdam figuris. Tab. VI pinnas aliasque piscium partes, et vermiculitas sistit, Tab. VII exhibet raras stellarum marinarum impressas lapidi calcareo imagines, Tab. VIII vero *malacostraca* rarissima, locustas, astacos, squillas cet.

Ad Cap. VII pertinent Tab. IX. X. XI. XII. XIII, quae petrificata testacea uniualuia cornua potissimum ammonis exhibent, quorum praesertim notatu dignus videtur *Nautilites* maximus Tab. X. fig. 1, delineatus, qui et ob insignem magnitudinem et ob adhaerentem adhuc crustam naturalem reliquis praestat. Ad Caput VIII. quod testacea fossilia biualuia explicat, duae ultimae XIV et XV tabulae referantur, quae chamitas, ostracitas, hysterolithos partim ex pectinibus, partim ex bucardiis desumtos, terebratulasque depictas offerunt. En igitur breuem figurarum indicem, de quibus ingenue fatendum est, eas delineationis elegantia sese, quam maxime commendare.

Cum et opuſculorum a parente editorum, ob plauſum virorum doctiſſimorum, penuriam inſignem Cl. Auctor animaduerteret, recudi ea, et in forma folii integri denuo imprimi curauit, ut commode hisce iungi poſſent ſua, de quibus diximus, ſupplementa.

XIV.

Kalchartiges Bergmehl in einer Steinkluft ohnweit Regenſpurg, entdecket und beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERN, *evangeliſchen Prediger zu Regenſpurg, der Röm. Kayſerl. Academie der Naturforſcher, der Kayſerl. Königl. Academie zu Roveredo, der Königl. Geſellſchaft der ſchönen Wiſſenſchaften zu Göttingen, und der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Duisburg Mitgliede, wie auch der freyen Künſte zu Leipzig Ehrenmitgliede. Gedruckt bey den Gebrüdern Zunkel. Zu Leipzig in Commißion zu haben bey Iohann Chriſtoph Gollnern.* pl. 5.

h. e.

De farina foſſili calcareae indolis prope Ratisbonam effoſſa. Auctore IACOBO CRISTIANO SCHAEFFERO.

Reperit Cl. Auctor caſu fortuito hoc productum naturae, in cauerna quadam ſaxi calcarei prope pagum *Sinzing* in magna ſatis copia. Cum vero de hacce farina foſſili apud varios auctores diuerſimode diſputatum fuerit, cumque a vulgo praeconcepta fuerit aſſumta opinio, qua annonae caritatem hacce terra praenuntiari affirmatur, et iam hanc falſam hypotheſin eodem modo deſtruere allaborat, quo iam pridem dentium vermes a ſemine

alkeken-

alkekengi neutiquam enecari demonſtrauit. Prima igitur Sectione regionem, in qua ſitus eſt mons ille, eiusque vicinias curatius geographice et phyſice deſcribit, variosque ſcriptores adducit, qui farinae foſſilis in Heluetia, Alſatia, Saxonia, Luſatia, Bohemia, Sileſia et Bauaria effoſſae mentionem iniiciunt. Sectione altera diſputat de vera indole huius farinae experimentis variis detecta. Et coloris et conſiſtentiae ratione exacte conuenit cum farina ex cerealibus confecta: Digitos inquinat et tactu ſicca et aſpera deprehenditur: aquam adſperſam auide in ſe ſuſcipit, eiusque ope lac quaſi ſuppeditat; ſaporis eſt ſubdulcis; in paſtam formari, humida quidem poteſt, quae tamen exſiccata dehiſcit; acido cuidam iniecta rubeſcit et molleſcit; grauitatem fere eandem cum farinae triticeae, quibusdam ſpeciebus purioribus habet, reliquas farinas eadem ſuperat. Deſtillatione ſicca ſuppeditat ſpiritum alcalinum. Ex his inſtitutis periculis in tertia Sectione p. 14. Cl. Auctor, claſſem, ordinem et genus, cui farina haec foſſilis accenſenda ſit, detegere ſtudet. Praemiſſa hinc ab auctoribus adlata huius producti Synonymia, quae ſatis fuſa deprehenditur ac copioſa, monſtrat diſſenſum ſcriptorum de ordine, quem ingredi debeat. *Margis* illam annumerant HENCKELIVS, BRVCKMANNVS, KVNDMANNVS, SCHEVCHZERVS, BVTTNERVS: *argillis* LVDWIGIVS, WOLTERSDORFIVS, CRAMERVS: *aetae* WALLERIVS: *gypſo* denique POTTIVS, qui ſimul eam a lacte lunae et nihilo albo natiuo ſiue foſſili ſummo ſtudio diſtinguit. Comparatis inter ſe hisce auctorum ſententiis tandem contendit Cl. SCHAEFFERVS hanc ſuam farinam calcaream ad morochtum verum POTTII et LVDWIGII et farinam foſſilem WALLERII eſſe referendam. Quarta p. 20. Sectio exponit huius farinae ortum ac geneſin; ubi praemiſſae aliorum auctorum BVFFONIS, LVD-

WIGII,

WIGII, SCHEVCHZERI et LANGII hac de re ſententiae adſentitur, et ab aquis per ſaxa calcarea tranſtillantibus abripi particulas ſubtiliſſimas affirmat, quae demum, euaporata aqua, in puluerulentam hac forma remanent et fiſſuras ac commiſſuras ſaxorum repleant, hinc veram petram parasiticam generent. Omnibus hisce euincere ſtudet et optime commonſtrat naturale hoc productum non poſſe pro prodigio haberi, corruere hinc omnia de
p. 30. hoc ſuperſtitioſe prouulgata commenta. Vltima tandem Sectio diſputat de uſu huius farinae, quem variis experimentis exiguum ſane vel prorſus nullum confirmat in oeconomicis, et noxium eundem eſſe in re medica et HENCKELII et POTTII auctoritate comprobat. Appendicis loco pauca adfert, de granis cerealibus, quae *Sorauiae* reperta, vulgus ex aere delapſa credidit.

XV.

Noua phyſico-medica.

Praeclare de ſcientiis agitur, ubi principes eas amant, illarumque incrementum curae ipſis eſt cordique. Illas enim inde maximum non ſolum capere incrementum, ſed haud parum quoque ad regnorum felicitatem conferre adiumenti, innumeris, ſi in priſcae aetatis memoriam regredi liceret, demonſtrari poſſet documentis. Nec noſtram aetatem eadem deſtitui felicitate, eſt, quod laetemur. Neminem enim ſumma, qua nunc fruitur Danicum regnum, latet felicitas orta ex Sapientiſſimi Regis FRIDERICI V. conſiliis, qui tanto in litteras ſcientiasque fertur ſtudio, ut de incremento illarum non minus, ac de felicitate ſubiectorum ipſius imperio populorum cogitet, quos tamen maximo et vere paterno ipſum amplecti amore conſtat. Optimus hic princeps et in ſcientias propenſiſſimus,

ſſimus, poſtquam variis, iisque eximiis orbem litterarum ditauit ſingularis gratiae ſpeciminibus, eorum nunc nouum meditatur. Iuſſit nimirum Cl. MICHAELEM, Profeſſorem Gottingenſem Cl. itineris cuiusdam in *Arabiam* ſic dictam *felicem* ſuſcipiendi rationem deſcribere, et viros commendare, qui id cum fructu facere poſſent. Elegit itaque Cl. MICHAELIS tres viros, de quibus nullum eſt dubium, quin voluntati Sereniſſimi Principis et expectationi eruditorum facturi ſint ſatis, eoque magis, quod illi iam inde ab aliquot annis iuſſu Regis tantis ſubleuati fuerint ſumtibus, quanti requirebantur, ut quouis modo ſe ad peregrinationem hanc aptos reddere poſſint. Priuatiſſimis quoque ea de cauſa inſtitutionibus uſi fuere. Primus, cui vel maxime demandatum id eſt, ut mores populorum eorumque eruditionem inquirat omniaque diligenter colligat, quae ad feliciorem ſacrarum litterarum explicationem omnemque rem philologicam ullo modo pertinere videantur, eſt FRIDERICVS CHRISTIANVS VON HAVEN, *Hafnienſis*, qui nunc *Romae* viuit ibidemque ſumtibus Regis nutritur. Secundus PETRVS FORSKAEL, Prof. ex *Suecia* oriundus, qui, cum Gottingae commoraretur, linguas orientales maximo addidicit ſtudio, omne quidquid in hiſtoria naturali, cuius iam antea indefeſſus fuit cultor, ipſi notatu dignum viſum fuerit, ſedulo annotabit. Iure quodam ab hoc aptam rerum earum, quae ipſi obuenerint, expectare videmur deſcriptionem, cum in hiſtoria naturali iam dudum hoſpes atque peregrinus eſſe deſierit, et nunc ea felicitate fruatur, ut conſuetudine et conſiliis Ill. LINNAEI, quocum viuit, ſcientiam ſuam amplificet et ipſe quaſi ad iter hoc cum fructu ſuſcipiendum et ad res, quae ipſi commiſſae ſunt, praeclare agendas praeparetur, cumque praeterea eas calleat linguas, quarum cognitionis defectus maxima

maxima iis, qui itinera in remotiores ſuſcepetur prouincias fuit difficultas et quae plurimos impe diuit, quo minus certas ſufficientesque vel deſcri ptiones vel relationes exhibere potuerint. Nomina enim rerum naturalium, quibus in illis prouinciis appellantur, et noſſe et iisdem qui his popu lis ſolemnes ſunt, characteribus ea deſcribere, re maximi eſt momenti, quae cognitioni hiſtoriae naturalis non parum adferre poſſet utilitatis. Rerum vero mathematicarum tertius Cl. NIEBVRG, *Fremenſis* habebit curam. Ingredientur viri hi peregrinationem menſe octobri anni 1760 et illam conuertent primum in prouinciam, *Tranquebar* dictam, exinde in *Arabiam felicem*, quae ideo prae caeteris electa fuit, quod rerum in ea obuiarum nondum ſatis certa exſtat hiſtoria et quod illa ditior naturae opibus et tutior proficiſcentibus habetur, quam *Arabia deſerta* et *petraea*. Omnem itaque viri dirigent attentionem ad hiſtoriam naturalem, oeconomiam, morbos, mores, leges, architecturam, geographiam matheſi ſuperſtructam, rerum politicarum, ſectarum et eruditionis hiſtoriam et linguam populorum iſtorum, quos ſunt adituri. Libros, ſi quos inuenerint, qui uſui fore videbuntur et quos in Europam deportare operae pretium erit, ement et earum rerum, quae ex deſcriptione ſola vix cognoſci poſſunt, icones; ſi vero res ipſas, de quibus non timendum eſt, ne longo itinere corrumpantur, aſſequi potuerint, ſecum reducent, quam maxime vero id elaborabunt, ut omnium rerum propria in ea lingua comperiant nomina. Si qui forte eruditi ſint, qui illis viris quaeſtiones rem litterariam attinentes proponere cuperent, illi ſciant, eos omnem nauaturos eſſe operam, ut tum, cum ex itinere reduces facti fuerint, ad eas appoſite reſpondere valeant. Hae quaeſtiones mittantur ad Cl. MICHAELEM, qui, gratiſſimum quoque ſibi

fore

fore promittit, si eruditi consilia secum communicare velint, qua ratione sumtus optime impendi possint, verbo, quomodo iter hoc optime et ita institui possit, ut optimi Principis voluntas impleatur inque orbem eruditum maxima redundare possit utilitas. Optat tamen, ut consilia illa circa festum Paschale anni subsequentis 1760 accipiat, quo quippe tempore totius itineris ratio delineabitur.

Medicorum et chirurgorum Societas, quae sub auspiciis Sereniſſimi Principis Hiſpanienſis LVDOVICI floret *Madriti*, duas propoſuit quaeſtiones, quarum altera ex medicina, altera ex chirurgia eſt depromta. Illa, quae ad medicinam pertinet, inueſtigationem remediorum ſic dictorum ſpecificorum reſpicit: *num* ſcilicet *vera dentur remedia ſpecifica, et quodſi dentur, quaenam ſit illorum natura agendique modus?* per hanc, chirurgicam puta, leges conſtituere ſtudet Societas, ex quibus trepanationis neceſſitas determinari poſſit: quaerit nimirum, *quinam ſint caſus, in quibus trepanatio pro unico et optimo ſit habenda remedio?* Elaborationes reſponſionesque ad propoſitas quaeſtiones ſe ſub finem anni ſequentis 1760 diſquiſituram, optimásque ex iis praemio condecoraturam eſſe, ait, ita tamen, ut ea conſtitutum praemium in duas ſit diuiſura partes, quarum alteram is, qui de medico, alteram, qui de chirurgico themate optime commentatus fuerit, accipiet. Ab ISIODORÆ RODRIGVEZ, qui ſocietati eſt ab epiſtolis, recipientur diſſertationes, quae vero ante primum menſis decembris diem 1760 ad illum ſunt mittendae.

Academiam *Burdigalenſem* quolibet anno praemium quoddam phyſici a ſe propoſiti thematis optimae elaborationi promittere et exhibere ſolere ſaepius iam enarrauimus. Cum vero praecedenti anno

no deſtituta eſſet occaſione * illud exhibendi, unicam quippe acceperat propoſiti argumenti inquiſitionem et illud adeo in hunc, quem agimus annum, reſeruaſſet, duo erant hoc anno 1759 diſtribuenda praemia. Alterum promiſerat ei, qui *optimam vineae deputandae rationem* oſtenderet, tum *quoad diuerſa vitis genera, tum quoad diuerſum, in quo ea colitur, ſolum.* Super hoc argumento commentarios nec hoc quidem anno, quos praecedentibus iam fruſtra expectauerat, accepit. Idem illud itaque ad annum 1762 differendum cenſet Academia et ſperat, fore, ut intra hoc temporis ſpatium ab eruditis illud diſquiratur.

Alterum vero, quod optimae elaborationi illius quaeſtionis: *quaenam optima ſit ratio quercum arbores ſerendi, pangendi, traducendi reſtituendique* ſe adiudicaturam eſſe, Academia dixerat accepit CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IACOBI, A. M. Societatis Regiae Gottingenſis Socius, qui *Winigerodae* viuit et bibliothecae Comitis DE STOLBERG curam gerit.

De argumento anno 1760 praefixo et de tribus iis, ad quorum commentarios diiudicandos praemioque ornandos annus 1761 conſtituitur, nihil eſt, quod moneamus, cum Academiae voluntatem ſuper his ſupra ** cum lectoribus noſtris communicauerimus.

Eadem Academia nouum haud ita pridem propoſuit argumentum, cuius diſquiſitiones ab eruditis ante primum menſis maii diem 1762 expectat: *utrum* nimirum *operationes electricae in morbis corporis humani utiles, an noxiae eſſe poſſint?*

Manent de caetero, quoad hoc et reliqua argumenta, eaedem leges, quas ſaepius nos recenſere meminimus et quas ideo, ut repetamus, non neceſſe eſt. Id tamen lectoribus noſtris in memoriam reuocare

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. III. p. 542.
** vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 363 ſeq.

reuisare consultum ducimus, Academiam de iis commentariis, qui alio, quam latino gallicoue sermone sint conscripti et qui Auctorem suum prodant, non iudicaturam, et eos, qui ad has leges se componere recusent, prorsus facultate praemium acquirendi esse priuaturam.

Lugdunensis Academia scientiarum, elegantiorum litterarum et artium, quaestionem proposuit, cuius optimae responsioni praemium, quod numisma est aureum, trecentorum pondo gallicorum pretii, adiudicabit. Quaerit nimirum Academia: *quales sint causae, quae vinum corrumpant? et qualia sint auxilia, quibus huic malo partim occurratur, partim quae ipsi medeantur, absque metu, ne vini naturae inferatur noxa.* Eruditorum cuilibet, exceptis iis, qui Academiae huius sunt Socii *Lugdunique* viuunt, Academia copiam fecit de praemio hoc certandi, hac tamen lege, ut commentarii sermone vel latino vel gallico conscribantur et in eorum fronte adiiciatur sententia, quam etiam ut et nomen auctoris schedula sigillo obsignata contineat, quae commentationi cuilibet est addenda. Ex his schedulis ea tantum, quae cum dissertatione, quam Academia praemio dignum censuerit, fuit transmissa, aperietur. Ea vero dissertatio, cuius Auctor prius, quam de omnibus iudicium latum fuerit, se ipsum vel directe prodat, vel indirecte faciat, ut eius nomen facile coniici possit, ex voluntate Academiae destituitur facultate, ut super eam iudicium feratur. Mittantur elaborationes ante primum mensis aprilis diem anni 1761 *Lugdunum Gallorum* ad Cl. ROLLIO VD-MERMET, qui Academiae perpetuo est ab epistolis, vel ad Ill. DE FLEVRY, Praefidem eius, vel ad AIME DE LA ROCHE Typographum.

A Societate *Londinenſi*, in perficiendis artibus, opificiis et commercio occupata, hoc ipſo anno 1759, praemio ſtatuto condecoratus fuit Cl. IOANNES GOTTLOB LEHMANN, qui in aula regia Berolinenſi a conſiliis rerum metallicarum, Regiae Berolinenſis Academiae ſcientiarum elegantiorumque litterarum, ut et Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum utilium ſocius eſt, vir in foſſilium cognitione et hiſtorica et phyſica verſatiſſimus. Problema enim a Societate modo dicta iam anno 1756 propoſitum *, ex eius ſententia optime explicauerat. Poſtulauerat Societas, ut *cobalti hiſtoria* exhiberetur, *quae exquiſitam diuerſorum generum cobalti minerarum deſcriptionem eorumque notas diſtinctiuas ſuppeditaret, ſimulque doceret, cum quibus mineralibus et in quibus matricibus occurrat, qua ratione experimentis docimaſticis ſit ſubiiciendum, qua methodo exinde zaffera et ſmaltum praeparari poſſit, quibusque ſpeciebus arenae ſiue quarzi ad hunc uſum opus ſit?* Singularem quoque ſuum aſſenſum Cl. LEHMANNO dicta Societas eo ſignificauit, ut communi ſuffragio ipſum, quamuis extraneum in ſocietatem reciperent. Ipſa eius diſſertatio anglico ſermone propediem Londini impreſſa prodibit.

Iacturam, quam fecerat *Argentoratenſis* Academia obitu utriuſque BOECLERI virorum optime de arte ſalutari meritorum, quorum obitum indicauimus **, nunc demum reſartam eſſe, eo maiori cum voluptate accepimus; quo certius eſt, utrumque virum, qui in denatorum ſucceſſerunt locum, iam dudum eruditione in orbe litterario inclaruiſſe. Botanicam, chemiam materiamque medicam publice docendi munus, quo antea functus fuerat IOANNES BOECLERVS, demandatum nunc eſt IACOBO

* vid. Commentar. noſtr. Vol. V. P. II. p. 365.
** vid. Commentar. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 724.

IACOBO REINBOLDO SPIELMANN, M. D. Professori huc usque eadem in Academia Poeseos Ordinario et Medicinae Extraordinario. Alterius BOECLERI, PHILIPPI HENRICI, Anatomiae et Chirurgiae Professoris Publici Ord. locum nunc occupat IOANNES PFEFFINGER, M. D.

In meritorum gloriam et ex singulari gratia Serenissimum Daniae Regem, IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFER, sacrorum curam *Ratisbonae* habenti, Academiarum Caesareae Naturae Curiosorum, Caesareae ac Regiae Rouerodensis, Regiae Gottingensis et Berolinensis atque Electoralis Moguntinae cet. socio, viro de historia naturali meritissimo et plurimis pereximiisque scriptis clarissimo diploma mittendum curasse, legimus, cuius vi Consiliarii Regii Danici et in Gymnasio Academico Altonauiensi Professoris Philosophiae Honorarii titulo ac honoribus exornatus fuit.

Qui multis scriptis, partim ad rem oeconomicam, partim ad fossilium historiam pertinentibus, quorum plurima in *Promtuario Hamburgensi* edita exstant, eruditi nomen sibi conciliauerat, IOANNEM FRIDERICVM HOFFMANNVM, Iuris Vtriusque Doctorem, rerum metallicarum Iudicem Constitutum et Consulem Sangerhusianum hoc anno 1759 e viuis excessisse eo magis dolemus, quo praestantior viri huius in his rebus erat peritia.

Nuper demum * historiam breuemque epitomen splendidissimi illius sumtibus augustissimi Regis Daniae sustenti et ab artificiosissimo REGENFVS ad tantam perfectionem perducti operis de *cochleis et conchis* dedimus. Illis, quae tunc diximus, nunc addere possumus, quod nunc cuilibet, qui opus il-

* vid. Comment. nostr. Vol. VII. P. IV. p. 681.

lud ſibi comparandi cupidine teneatur, copia illud acquirendi facta fuerit. Haud ingratum itaque lectoribus noſtris fore arbitramur, ſi conditiones enarramus, ſub quibus illud quilibet aſſequi poterit. Inchoatum illud iam plures ante annos fuerat et cum dexterrimus REGENFVS non tantis praeditus eſſet opibus, ut illud ſuis ſumtibus ad finem perducere poſſet, ſingulae plagulae tunc temporis pretio quodam in anteceſſum ſoluendo iis, qui nomina ſua ideo dederant, tradebantur. Sed cum ne hoc quidem modo ille neceſſarias acquiſiuiſſet impenſas, opus illud imperfectum, certe non abſolutum, relinquere et a propoſito abſtinere coactus fuiſſet, niſi a Rege hoc optimo ſubleuatus fuiſſet. Qua factum eſt, ut priores plagulae multorum fint in manibus. Ne itaque ii, qui opus hoc poſſident imperfectum, totum emere iterum neceſſe habeant, artifex ille reliquas, quae ipſis deficiant, plagulas exhibendi conſilium cepit, ea lege, ut, qui undecim plagulas iam poſſident, pro ultima et tota illarum deſcriptione 16 thaleros, quales in commercio Danico in uſu ſunt, vel 28$\frac{3}{5}$ florenos imperiales eo monetae genere, quod argenteam Gallicam Ludouiſianam melioris notae appellant, ſolvere velint. Quibus vero plures deficiant plagulae, illi praeter pretium modo indicatum pro qualibet tabula 2 thaleros vel 3$\frac{2}{5}$ flor. imperial. et qui totum cupiant opus, 38 thaleros vel 68$\frac{2}{5}$ flor. imperiales modo dicto pecuniae genere ſoluant. Praeter haec indicata pretia iis etiam illud erit ſoluendum, quod ex via *Hamburgo Norimbergam* curſus publici nomine requiritur. Non ultra enim, quam *Hamburgum* exempla mittentur impenſis Auctoris. Quibus conditiones hae placuerint, illi nomina ſua apud *Georgium Iacobum Kiesling*, mercatorem Norimbergenſem, profiteantur et indicent, quot plagulae ipſis deficiant. Rogantur vero iidem, ut

id

id propediem efficiant, ne reliqui aliorum culpa et nimis diu protracta expectatione offendantur. Nec plura, ac desiderata fuerint, operis exemplaria se missurum esse Auctor ait. Post spatium sex mensium (numerabis a primo mensis martii die anni 1760) pretium totius operis augebitur, nec minore, quam 48 thalerorum vel 86 flor. imperial. eodem pecuniae, ac superius descriptum fuit, genere soluendorum, pretio venibit.

Physicae rationis periti, cum nunquam defatigata industria in rerum causas, proprietates et effectus inquirant, exoptato tandem euentu, quae maioribus vel plane incognita erant, vel non satis perspecta, ita eruunt et quasi reuelant, ut physicae res inde mirabile capiant augmentum. Quis mortalium sibi persuasisset, hydrargyrum summo frigore correptum adeo densari, ut naturam fluidam ad tempus quoddam exueret; nam in uniuersum fere omnes, cum de frigore disputarent, hoc argenti viui corpus ex fluidis rebus solum supereſſe statuebant, quod nec frigori naturali, neque eo, ab arte aliqua producto, posset affici, sed manere semper fluidum atque mobile. Quare, quae sub finem superioris et initium huius anni a celeberrimis quibusdam naturae indagatoribus *Petropoli* super hac re sunt detecta, valde digna sunt, quae cum lectore beneuolo communicentur. Iniecta quidem est huius rei mentio nuper in ephemeridibus publicis, generalis tamen, nec ita comparata, ut haesitanti lectori omni ex parte persuadeat, vel quo pacto quis similem euentum experiri possit.

De fide tradendarum rerum non est, ut quis dubitet, an eis habenda sit, quia, quam communicamus obseruationum narrationem ab ipsa illustrissima Academia Petropolitana originem habet.

In animum induxerat Prof. ZEIHERVS, vir in re physica celeberrimus, experientia duce explorare, num maiores frigoris gradus, illo adminiculo, quod FAHRENHEITIVS docuerat, et post eum praestantissimi physici alii confirmauerant, brumali tempore producere possit; sed, quod dolendum erat, corporis imbecillitate impediebatur, quo minus tentamina institueret.

